ECCLESIASTICARUM DESCRIPTIONUM LIBRI VIGINTI. EMPULITANO...

Pietro Cioffi







6
21-g
42


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 I
49

M

ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM
Libri viginti.

EMPVLITANO
PETRO CIOFFIO
AVTHORE.









ROMÆ,
Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. M. DC. XXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Capraccini di Roma



Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. M. Sacri Palatij Apostolici.

P. Episcopus de Curte Vicesg.


EX commiſſione Reuerendiſſ. P. Fr. Hiacynthi Petronij Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, ego F. Aloyſius Viuianus Ordinis Prædicatorum, perlegi opus, quod Libri Eccleſiaſticarum Deſcriptionum viginti, Petro Cioffio Empulitano Authore, inſcribitur. In quo cùm nihil Catholicæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium inuenerim, ideò existimo non ſolum dignum eſſe vt approbetur, & typis mandetur, verum etiam maximè periucundum fore ſacras litreras profitentibus cenſeo. Romæ in Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam 26. Aprilis 1621.

F. Aloyſius Viuianus qui ſupra.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Bartolus Magiſter, & Reuerendiſſimi P. Fr. Hyacinti Petronij Rom. Sacri Palatij Apoſt. Magiſtri Socius, Ord. Præd.

VNIVERSIS Christianæ Reipublicæ Academijs Plurimam in Christo Iesu Salutem.



Vibvs Christianæ Reipublicæ Academijs paulò ante sacrarum Descriptionũ quatuor supra Viginti Libros dicaui, eligens quosdam quasi flores antiquitatis in commodum animorum, & quasdam hexametris versibus à mundi cunabulis ad vsque celeberrimam Iudaici populi dispersionem quasi texens historias: Iisdem Academijs inchoatas nunc Ecclesiasticas Descriptiones a dicto termino ad vsque quinquagesimumquintum supra quingentesimũ Christi Domini numeratum annum deductas, in commodum eorundem

propono. In quibus ita videntur exempla magis ad rem nostram saciẽtia explicari, sicut Diuinæ Fidei, Spei, & Charitatis, quam nos profitemur, augmentum, nescio quo modo magis proprio suscitatur, ac gignitur. Excipite igitur partem, excepturæ alias totum, si grati quasi obsequij munus in prædictis oblatum nõnihili faciendum esse iudicabitis. Pacem in Christo Iesu plenissimam. Empulo, cal. Martij Anno Christi Domini M. DC. XXII.

Addictissimus

Petrus Cioffius.

ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER PRIMVS.



Nterea verpis natali sede repulsis,
Vt planè indignis longè in diuersa locorum,
Atq; etiam penitus diuina sorte recisis,
Motarum fuerat, quod causa potissima rerum;
Assumptæ gentes, ac sacra in dona vocatæ,
Vt cecinit quōdam Regni per symbola Christus
Cælestes referunt magno cum fœnore fructus.
Ac velut exiccata diù cum terra dehiscit,
Altius humorem epotat, lambitq. fluentam,
Seu velut incultos si dudum contigit agros
Destitui, tandemq. animos in præmia moti
Agricolæ renouant, intermissumq. laborem,
Assiduo duras versantes vomere glebas:
Tum verò frugum auctarum lautissima merces
Aggere composito confluxit in horrea messis:
Nō secus impressam ad lucē, exceptamq. fauillā
Asciti populi gratissima corda gerentes
Pro se quiq. animis fouisse libentius optant

Oblatum numen, genitumq. ex numine Iesum.
Spiritus alme faue, vt cæptis propioribus adsis,
Ac mea dum rapidis tolluntur carbasa ventis,
Non recto ad portum nõ dirige tramite cursus.
Prima Petri sedes steterat, Pauliq. futurum
In tempus Romæ lætho firmata recenti:
Sic placitum, quia nam stygio parere Tyranno
Antè omnes Romæ fuerat per sæcula curæ.
Nunc vice sit versa superum quasi Regia terris.
Nec sine conflictu tamen est eiectus acerbo
Impius, aut nullis certatum est cominus armis:
Sæpius, atq. diu per funera sæua piorum,
Per vitæ contemptum huius cælestibus aucta
Præsidijs, virtute animi superante dolores,
Agmina turmatim sese opposuere scelestis,
Vt libertatem tam claro sanguinis emptam
Humani precio fuerit temerasse nefandum.
Bissenis reliqui de fratribus extera fusi
In Regna ardentes fidei, ac pietatis honesto
Diuinæ studio terras obiere petitas,
Infandos mores, & confirmata Deorum
Obsequia, & cultus radicitus extirpantes.
Quis memoret casus, & plurima mira virorum
Tantorum? extremos & quos subiere labores?
Cõmodaq.? & fructus venturũ in semen ituros?
Alma parens miseris euecta ad sydera terris
Ac membris iterùm terna sub luce nouatis,
Vt posthac essent incorruptibile pondus,
Tendit in occursus superis excepta cupitos.
Pro Christo fratri similis, similisq. magistro
Vrbe Patras ligno Andreas confixus in alto
Pertulit extremos constanti pectore casus.
Zelotes Simeon, ac secum Iuda Thadæus
Præcipitem experti populũ, quod strata fuissent
Ipsorum precibus simulachra prophana Deorũ,
Sub

Sub nequam Babylone cadunt hostilibus armis.
Ecce mihi Thomas rutilat, quem vana sequuti
Indorum plures progressum è finibus orbis
Transfodiunt animis in funera dira citatis.
Ecce etiam ad Iesum reuocat sermone frequenti
Philippus Phrygios, indefessósq. labores
Sustinet, vt repleat superis afflatibus omnes:
Non tamen immemores infandi moris iniqui
Exagitantq. virum, crucibusq. affigere certant;
Ergo alacrem in mortem passi telluris hiatus,
Motusq. horrendos tamen extinxisse laborant.
Armenus ductor te Bartholomæe docentem
Non æquis patiens animis, atq; Astaroth ausum
Blasphemasse, superq. visus perducere fratrem
In similes potuisse videns, certamina contra
Dura parat, ferroq. cutem discerpit acuto.
Hirtacus Æthiopes per sceptra subegerat atros:
Matthæus fidei per verba subegit eosdem.
Hunc ergo horrentem sensus fouisse nefandos,
Req. ipsa obstantem crudeli conficit hasta.
Ananias Solymæ princeps oppressit Iacob
Damnatum iniuste, vt vitæ discrimen iniret,
Saxorum & cumulo decumberet ictus acerbo.
Matthia felicem in sortem susceptus, Iudæ
A lapsu misero, latè dum tota pererrat
Regna Palestinæ, fidei dictamina versat;
Et iam corda parat multorum in digna tonantis
Obsequia, vt pariter societ miracula dictis:
Iussu pontificis lapidum feritate petitum
Seminecem obtruncant hostes, & funera cõplét.
Thecla fuit virgo Pauli celeberrima ductu
Coniugium renuens, sibi quo seruire liceret
Liberius Christo, multos perpessa labores
Propterea, vt tandem violenta morte periret.
Vir Solymæ quidam de plebe inclamat eundo,

Væh Templo, ac Solymæ, cum nondum signa futuræ
Obsidionis erant instinctu Numinis actus:
Nec potis est monitis frænari, aut fustibus vnquã
Sistat ab incæpto, donec sortita supremos
Effectus res ipsa fuit victore Quiritum
Agmine quod sacras absũpsit in ignibus Vrbes.
Stratus humi fuerat noua per miracula Romæ
Infandus Simeon Petri, Pauliq. modestis
Ad Iesum effusis precibus, quia fortè volatu
Præstigijs vtens tentasset ad æthera cursus:
Dum tamen ire studet, pulsu maiore subactus
Icarijs penitus progressibus aera tranat,
Vt miserè pereat canibus laniatus, & ictu.
Petronilla fuit, Petro seu nata marito,
Seu verbo fidei longè pulcherrima forma,
Nobilis infusa, atq; animi virtute parata:
Expetitur: thalamos illa auersata iugales
Exorat solui mortali corpora nexu,
Vt Iesu promissa fides seruetur Iesu.
Martinianus erat, custodia carceris olli
Demandata fuit Romæ: sub compede vinctus
Petrus ibi, Paulusq. inerat, defecerat humor,
Vt sitis ardorem immeritò paterentur, & æstus
Inclusi secum socij. miseratus vterq. est.
Ergò Petri, & Pauli precibus disrupta liquorem
Terra dedit, recreati artus: commota fideles
Turba capit sensus, & custos carceris vna.
Soluuntur vinclis: dumq. Vrbe recedere Petrum
Contigit, occurrens in vincula Iesus eundem
Proposito exempo reuocat. stetit illico Petrus,
Vt renouet celeres sua per vestigia cursus.
Damnato Romæ Paulo, dum colla securi
Truncantur, fluxit de corpore lacteus humor;
Ter caput abscissum exilijt, telluris ad ictum
Con-

Concuſſe pariter tres viſi emergere fontes.
Cum Martinianum Iudex torqueret iniquus
Proceſsũ,& ſocios per plurima verbera,& ignes,
Dæmone corripitur ſtygio, pariterq. necatur.
Sæpius acceſſit Romam docuiſſe fideles,
Hoſpitio excipitur Petrus ſub tecta Pudentis:
Ecce Pudentiades binæ pietate magiſtra,
Et ſuadente ſibi forma virtutis amica,
Oſſa legunt paſſim per funera ſparſa piorum,
Et condunt lectos per funera ſparſa cruores;
Donec in obſequio venerabilis vtraq. ſumpto,
Effecta eſt ſimili venerabilis vtraq. caſu.
Perpetuæ ſtudium in ſanctos, pietaſq. perennis
Laudibus in cælum, Lucinaq. iuncta ferantur,
Perpetuò vt niteant velut exemplaria terris.
Lucas eniteat pariter, qui lumine ſcripto,
Frigoreq. immodico, magniſq. laboribus vna
Sectatus Paulum, ac Ieſu cunabula miſcens
Ex vtero ad finem actorum; non paſſus iniquis
Errorum tenebris mergi clariſſima rerum:
Scilicet idem etiam, qui ſcripto lumine nobis
Pandit iter, monſtrat moriens teſtatus Ieſum.
Marcus Alexandri celebratas nomine terras
Curandas ſenior factus ſuſcepit, & Vrbes.
Poſt multos caſus, & multa pericula rerum
Tandem obit, Eccleſiã profuſo ſanguine firmans
Diſcipuli pariter cuncti ſermone frequenti,
Ac virtute pari terras obijſſe reperti,
Vt Chriſtum infererent,& Chriſti iuſſa docerẽt
Per contemptum hominum ſimulachra propha-
na Deorum
Deſtruxiſſe alacri ſtudio per geſta parati
Hinc fluxere neces in corpora lecta piorum,
Hinc furor, atq. animus rabie veſanus habendus
Fictæ blanditiæ, ſiue ora minacia Regum

In sectatores fidei surgentis Iesu.
Interijt si quis fortasse per ardua rerum,
Ecce reuiuiscunt magnis virtutibus acta
Millia tutantũ hæc eadem noua sacra virorum.
Quis memoret prolem innumeram? quæ plurima circum
Oppida terrarum per talia tempora verbis,
Exemplisq; ducum istorum firmata modestis?
Funere cum proprio patrias ditauerit oras?
Hæc rerum facies, atq; ipsa hæc forma piorum
Antiquas Iericho retulit variata figuras:
Cum sonitu tandem ingenti, & clangore tubarũ
Extremo excussis ceciderunt mœnia saxis;
Vt vani cultus, noua per documenta salutis
Vndiq. diffuso Diuini semine Verbi
Desierint opplere animos caligine mersos.
Hæc eadem facies, atq; ipsa hæc forma piorum
Temporibus vernis per germina nota refertur,
Cum subito venis discusso frigore ab imis
Per solis radios, intusq. caloribus auctis
Erumpunt agris reflorescentibus herbæ.
Non secus Occiduus quà Sol, Oriensq. recurrit,
Quaue Auster, Boreasue fluũt, erat orbis imago,
Cum circa sedes intercurrére petitas
Cætus Apostolicus, plures alijq. vicissim
Discipuli, Dia penitus virtute repulsis
Spiritibus nequam, & morbis; vitijsq. fugatis,
Vndiq. iactantes fidei fundamina sacræ.
Ergo Deum in verum pietas, Iesumq; colendum
Augescit magis, atq; magis, tutusq. volenti
Monstratur cursus, quo scandere sydera possit.
Discipulus Petri Martialis in oppida cessit
Gallorum Petri iussu, dum sacra doceret:
Per baculum Petri admotum suadente benigno
Affectu rerum fidei argumenta probatæ
Cor-

Corpora discessu propriæ deformia formæ
Mortali rursus vitæ donauit apertè.
Dæmon Apollonum nequissima corda gerentē
Excitat, indignè qui Romæ illuderet Vrbi
Audaci posthac nixu, falsisq. superbum
Nomen imaginibus sibi quæreret ardua dudum,
(Vt visus reprobis) imitans miracula Christi.
Tandem igitur latè offusa caligine rerum
Detecta cecidit, pariter cecidere sequuti
Sortem infelicem, turpisq. est agnitus error.
Surrexere alij stultæ impietatis alumni
Enixi turbare pios Cacodæmonis astu,
Quos inter fuit Hermogenes, secumq. Philetus,
Corda veneficijs qui turpauere nefandis;
Tu quoq; Basili, tecumq. Cherintus iniquus
Indignis contra Christum sermonibus ausi,
Et genus electum, ac nomen temerare verendum.
Nicolaitarum creuit fœdissima labes,
Ecclesiam si qua posset vexare parata:
Nec tamen in Sanctos licuit perrumpere mores
Vt placitū, aut cœptos non interuertere cursus:
Iustorum in terris collectio clara refulsit
Hostibus excisis latè, tenebrisq. fugatis.
Qualis sæpe polo radijs lux alma serenis
Effudisse solet densa inter nubila lumen;
Et qualis, medio dum fertur concita ponto
Turbinibus puppis, si forte recesserit Auster,
Tandem tuta volat, fractisq. excurrit ab vndis.
Non aliter iustis res euenere vocatis,
Semine iniquorum contra insurgente sepulto.
Sed vero stygius non in conamina serpens
Vel sterilis, lentusue fuit, iam territus armis
Rursus, & in bellum velut exitiale mouendum
Excitat immissis insectatoribus orbem.
Iam Reges, populiq. truces, pariterq. Tyranni
Con-

Contrà obstare parant, & quos fouisse libenter
Debuerant, totis deperdere viribus instant,
Instinctu Satan, miro Cacodæmonis astu
Nil fuit intactum, nulla intentata malorum
Causa, modusue fuit, ratio non vlla nocendi:
Concurrére acies nullo obsistente virorum
Seu contra imbellum sexum, seu prorsus inermē
Obstat sola Dei virtus; eadem vna resistit,
Hæc potis est victis superesse laboribus vna,
Vt secum pariter Sanctorum germina viuant.
Discipulus Pauli Dionysius extera tendens,
In Regna, eximiam Gallorum intrauerat Vrbē
Diuinæ studio fidei, ac pietatis alendæ.
Ergo animos reparat cæco sub tramite mersos,
Disponitq. vices fratrum collata tuentum
Munera, & in superos terras reuocantia fines.
Ecce Tyrannorum iussu deprensa satelles
Busta adimit capiti. mirum, sublata resumunt
Busta caput, manibusq. ferunt in tecta catullæ,
Quæ vita functo meritos deferret honores:
Successit Linus in Petri pia munera primus
Discipulus Petri, ac Pauli, Pauliq. minister
In sacris., patria Tuscus, de gentibus ortus
Electis, longe clarus virtute parata.
Discite maiores nostri tractare modestis
Ecclesiæ clauum manibus pietate magistra.
Ergo sub vndecimum, pastor cū viueret, annum
Pro Christo occubuit gladio confossus,& hasta.
Cletus erat senior sacrorum in sorte virorum:
Præfecisse student socium virtutis alumni,
Et iam summa tenet, præcessorumq. sequutus
Exemplum, in meritos condignæ laudis honores
Incidit, vt Christum sit contestatus Iesum
Per mortem, vt verbis persæpe fidelibus ante.
Romanum Imperium cum Domitianus haberet,
Qui

Qui latè effuſo vaſtauit ſanguine terras,
Sub Cleti tempus biſſena è claſſe Ioannes
Vnus erat ſoſpes: ſed Domitianus eundem
Ex odio ſacræ legis, fideiq; perennis
In feruens oleum patulæ proiecerat vrnæ:
Nec tamen offendi ſacratos contigit artus,
In magè conſpicuos ſeruanti numine caſus.
Sub Ducis Imperio iſtius crudelia paſſus
Ad vitæ metas Ignatius ora Leonum.
Antipas Aſiæ germen teſtatur Ieſum,
Et cadit occiſus, ſed fit præclarior aſtris.
Subſtituit Cleto Clementem Clerus, vt omnis
Eccleſiæ curam gereret. Traianus eundem
A Nerua ductor demergi iuſſit in vndis,
Mulctatum exilio, fidei quia iuſſa ſequatur.
Hic recreat ſocios latè diuinitus auctis
De terra quondam arenti ſurgentibus vndis;
Iā mare præbet iter, ne corpora merſa profundo
Clementis cultu careant conſtante receſſu.
Tu Domitilla meis pariter cantaberis olim
Inclyta Virgo notis Nerei ſermonibus acta,
Et ſocij quondam fidei præcepta ſubire:
Inſulą depulſam Roma te Pontia cœpit:
Traderis indigno ſecum tu poſtea lætho,
Fœmineo ſexu, ſenſum exuperante virilem.
Is ductor latè bella exercere paratus,
Ac fidei inſulsè fugiens decreta ſubire,
Dum trans ire ſtudet, contrariaq; agmina tentat
Inuaſiſſe armis, reperit ſua nolle receptis
Inſeruire ſacris, quod ſacra prophana putarent
Multiplices coluiſſe Deos, ac Dæmona dirum;
Cum iuga Chriſtiadum potius ſubeūda referrēt.
Ergo animi leuitate ferox in millia gentis
Vndena Imperium exercens diſcrimina verſat,
Atq; ignominia, vt viſum, grauiore notata

Exi-

Exilio plectit, tandemq. affixa feruntur
Armeno in Regno, ac longè distantibus oris,
(Ah crudele nefas) crucibus damnata scelestis.
Quin etiam afficitur, qui facta hæc impia verbis
Insequitur meritis, lætho deprensus iniquo
Romulus, in totis qui summa negocia tractet
Ædibus, hoc aditu rebus melioribus vsus.
Obruptus occubuit saxorum Onesimus ictu:
Ense perit Zosimus, Rufusque, Antistius alto
Confixus ligno, socij periere sub vndis;
Tu quoq; Cæsarius, tu Seruilianus iniquum
Consilium contra passi cecidisse potestis,
Eutiche, coniuncto vobis pariterq. Hiacyntho.
Nec verò incœpto crudeliter ira quiescit:
Vndique iactati, totoq ex orbe repulsi
Christiadæ immeritas profuso sanguine pœnas
Tartareo penitus Rege impellente dederunt.
Hos inter latè rutilant ambusta per ignem
Membra puellarum fuso commixta metallo
In cineres collapsa prius, quæ quinque fuissent:
Quippe lauacrorum postquam constata steterunt
Vasa, vt in impuros verti contingeret vsus,
Non licuit reprobis stulta vertigine captis,
Offusaq. oculis densa caligine rerum,
Vt pauidus tremeret, neq; cõpos mentis adesset,
Quicunq indignos concurrere vellet in actus.
Sic honor est habitus functis vitalibus auris,
Qui fuit immeritò viuentibus antè negatus.
Ecce autem illustris deludit imagine formæ
Victa triumphantem tellus, immensus & orbis:
Infelix etenim non multo postea fatis
Humanis cessit reprobatæ sortis alumnus:
Tempore Traiani princeps Anaclete sacrorum
Extiteras Romæ maiorum exempla sequutus:
Sed tua mox sequitur, quẽ mox Adrianus acerbo
Dat

Dat læthο ob Christum feliciter Euaristus.
Primus Alexander pastor suffectus eidem,
Cuius consilio fidei producitur Hermas
Præfectus, multiq. alij, tandemq. necati
Pro Christo didicere pati suprema malorum,
Vt sua supremis iungantur membra bonorum.
Christiadæ plures Hadriani tempore duræ
Opposuere neci sese, & sua colla furenti,
Thura recusantes aris adolere nefandis,
Testatiq. Deum, & surgentia nomina Iesu.
Impius astabat stricto mucrone satelles
Retraxisse animos certus meliora sequutos:
Ergo cadunt, pariterq. alacres sua funera captát.
Currite felices in talia damna fideles:
Nam dederint artus despectaq. corpora cœlum.
Tu mihi militiæ princeps Eustachius esses
Dicendus pariter, pariter tua nupta, tuiq.
Infortunati per plurima tempora nati,
Quos dudũ immerito grauior distraxerat error,
Et sortes miseræ, duriq. per ardua casus.
Te venantem agris Cerui sub imagine Christus
Edocuit late sacra per baptismata sordes
Abstersisse tuas, & corda aperire vocanti
Dignato Iesu alloquio: tu postea spretis
Cultibus infandis, atq; impietate Deorum
Binis cum natis chara cum coniuge Taurum
Fuso ex ære cauum, & cæcas intrare latebras
Cogeris ardenti ferro torrendus, & igne
Supposito lateri. vincit patientia flammas,
Et rabiem hostilem: puris iam spiritus alis
Euolat ad superos transcendere sydera certus.
Non ego Faustinum, te non Iouita silebo,
Quorum ad conspectum sæui tacuere Leones,
Ne noceant, alijs hæc per miracula motis,
Vt fidei leges, & Christi iura sequantur.


Non

Non te Sabinam, Sophiam, natasq. pudicas,
Nec te Seraphium, quorum virtute reuicti
Sunt hostes fractiq. ausus, sensusq maligni,
Qua te laude canam mulier dignissima? partu
Inclyta septeno mater? quo carmine prolem
Symphœrusa tuam? seu per connubia iunctum
Extollam? & socios? qui vestro sanguine nostras
Fœcundauistis per proxima funera terras?
Tutum iter ad superos, & sydera demonstrãtes?
O alias inter fortunatissima mater,
Atq; alias iuter fortunatissima proles,
Quæ Tyburtinas o tus reuocatis in vrbes,
Empuleas ortus & quæ reuocatis in oras,
Quæ pariter nostros coluistis sæpe receptus,
Et vestras nobis potuistis linquere sedes:
Pandite, qua facilis patet ad cælestia cursus;
Nec scelerum nobis irritamenta malorum
Sint bona, seu curæ, quas vos repulistis ijdem;
Sed causæ laudum vestigia vestra sequutis.
Ergo vbi persensit constanti mente Tyrannus
Perdurare omnes, nec de statione moueri
Posse dolis animos, rabie succensus, & ira
In sua quemq. trahit sæuissima funera fratrum.
Sed non Diuinos potuit vitasse furores
Impius, aut nullos non pertulit ipse reatus:
Nam terra, ac longa consumptus tabe supremũ
Tempus obit, miserosq. dies per sęcla futuros.
Vrbs tota immeritis eadem per tempora pœnis
Obtulerat sese non dedignata sub ictu
Armorum cecidisse, aut maxima ferre malorum
Si modo prætori placeat sæuire superbo
In genus innocuum, aut desistere nolit ab ira.
Heros, atq; Hermas, Euantius, atq; Quirinus,
Secum alij pariter plures, Iraisq. virago
Martyrio functi sedes tetigere beatas,

Tres

Tres hominem reuocare ausi per scripta fuerunt
Vnus Aristides, alterq. Serenius, & qui
Nomine Quadratus: quorum sermonibus actus
Mitior euasit, ne tantum nomina Christi
Insequi, & innocuos vellet turbare fideles.
Sixtus erat pastor, pastorq. Telesphorus vrbis
Inde fuit, clari notis virtutibus ambo,
Atq, pares meritis, testatus vterq. Deorum
Sanguine contemptũ vanorum, & nomina Iesu.
Antoninus erat princeps, exempla sequutus
Prædecessorum, vita spoliauit inique
Christiadum plures venerandi nominis hostis,
Vt visus fuerit populis, dum vita superstes,
Iustitiam seruasse alijs, qui vana requirunt,
Suffecere Pium, sed primus Hyginius esto,
Sacrorum Ductor quorũ est Anicetus habendus
Tertius a primo: qui pro pietate tuenda
Successiue omnes pariter sunt ense necati.
Vexauere pios eadem per tempora Cedron,
Marcioq. allecti, tractiq. cupidine famæ.
Hisce Valentinus legis sectatorq. iniquæ,
Iungitur, ac pariter secum reiectus abunde est.
Marci Antonini Imperium, Veriq. sequutum
Vna regnantum. fuit illi filia quædam,
Lucillam dixere sui, iam nubilis annis
Vero in coniugium fuerat iungenda virorum:
Dæmone corripitur, qui contestatur aperte,
Se non cessurum, nisi cogat Abercius. inde
Accersitus adest, de corpore truditur hostis
Ad nutum ipsius. dantur condigna laborum
Præmia pauperibus, quorũ esset Episcopus Vrbis
Vt iustis fieret Satan occasio laudis,
Inuitus. tanti virtutem vnius haberi
Contigit, vt possit communem inferre salutem.

EC-



ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER SECVNDVS.






E primum referam patrem Polycarpe sacrorum,
Antistes Smirnæ, qui non es passus iniquos
Insultare tuis ouibus, sed tendere contra
Contigit, oppositis verbi mucrone repulsis.
Quod si non hostis, certè tibi flamma pepercit,
Vt fuerint actu meliore carentia sensu.
Dira recrudescunt Regum mandata potentum,
Armaq. Christiadum late vastantia fines:
Nec tamen imminuũt, verũ excrescentia surgũt
Agmina, quæ certant caput obiectare periclis,
Pro Iesu in veræ fidei tutamen honestum.
Militiam Imperij fratres dum forte sequuntur,
Quorum dictus erat notis Geruasius vnus
A teneris annis, dictusq. Protasius alter,
Dæmonis instinctu vanorum sacra Deorum
Sectati Astasium impellunt, deperdere iustos:
Sic etenim, memorant, facilè superabitur hostis,
Si functo incolumes, facilè superabimur hoste,
Vt virtus fratrum nostris virtutibus obstet,

Et quasi præpediat fratrum præsentia Diuos.
Christiadas quidam meritò laudasse feruntur.
Vt reuocet animos Regum ad meliora furentũ,
Montanus Phrygius, sectatoresq. nefandi
Armauere suas in pessima iurgia voces;
Vt retrahāt animos hominũ ad meliora fluentũ:
Sed referunt sua per suspensa cadauera Iudam.
Præficitur sacris Soter: hæc per tempora felix
Cum septem occubuit mater Felicita natis
Pro fidei studio, ac vera pietate tuenda.
Iam poterat veri assumpti vidisse supremum
Roma diem, vt solus fuerit collega superstes.
Munera Pontificis subijt Soter, inde sequutus
Exemplum ferro cecidit testatus Iesum.
Subsequitur pastor suffectus Eleutherus olli:
Lucius hac sanctæ sub tempestate Britannus
Auscultat fidei proscripto errore Deorum,
Simplicitate animi Romana exempla sequutus,
Non animis feruens, ætas vt nostra, superbis.
Ecce Senatori, famulus quem detulit astu
Crura infringuntur publicè sacra iura professo:
Dum tamen ipse cadit, secum victoria cessit.
Commodus oblati Imperij desumpsit habenas
Succedens patri functo mœrore diebus.
Hic patre commodior, quia non incommoda nobis
Attulit, vt latè ferro vastauerit Vrbem:
Atra lues populum, vexant incendia Romam.
Ægypti in Regno tali sub tempore virgo
Eugenia aufugit monachos imitata viriles,
Quos inter latuit proconsule patre locorum,
Assumpto Proto socio, pariterq. Hiacyntho.
Philippi genita illa fuit, quem postea Ductor
Imperij iniustè turbat, tandemq. trucidat:
Ille sed in miseros prius elargitus egenos

Est



Est bona, quo duplici titulo diademata poscat,
Præficitur Victor sacras, gentiq. Seuerus,
Nonnullis prius extinctis, quos cæca libido
Regnandi impulerat dubias accersere sortes.
Tum Solymæ clarus Narcyssus Episcopus Vrbis
In deserta abijt loca, quod peruersa virorum
Pectora non sinerent, sed magno ardore vetarét
Pace frui, lateq. hominem oppressisse studerent,
Sed vero pœnis condigno vrgente reatu
Accusatores longe grauioribus aucti
Et iustum sensere Deum, ac didicere timendum.
Te Zephirine canam patrem venerande sacrorum,
Ac tua quod sequitur seu gesta, aut gesta seueri
Principis, Ecclesiam edictis qui vexat iniquis,
Vt foueat cultus, & dogmata vana Deorum;
Dum tibi stat merita pro libertate Tyrannis
Opponi, ac sacri diffundere semina verbi.
Ergo velut Boreæ si quando occurrerit Auster,
Aut Notus exurgat contra insistentibus Euris,
Auditur late fremitus, motusq. vicissim
Vertitur hùc illuc dubijs impulsibus aer:
Non secus inter se dum concurrére phalanges,
Seu nequam populus stygijs vrgentibus vmbris,
Seu sapiens cætus superum tutante Senatu,
Insonuit tellus, concussaq. Regna dederunt
Immeritos luctus, & conspirantia secum
Agmina sollicitas animo subeuntia curas.
Ecce Leonidius mihi sese ex omnibus offert
Primus, in effuso qui sanguine proluit artus,
Quo Iesum fidei per Sacramenta foueret.
Hortatus quondam fuerat sub compede vinctũ
Natus Origeneus constanti pectore duram
Ferre necem: felix, si iuxta vota fuisset
Hos pariter casus, atq; hæc exempla sequutus.
Quid

Quid reuocas puerum mater ſuprema petentem
Funera pro Chriſto? certè præſtantius eſſet
Exempli nobis, quàm verbi aluiſſe magiſtrum.
Ergo aperit tandem ludum, quo ſacra doceret,
Ac necis in ſtudium compelleret vndiq. gentes,
Si qua pro Chriſto ſubiecta occaſio poſcat.
Concurrére alacres hæc in certamina plures
Eiuſdem accenſi verbis, biniq. Sereni,
Atq; Heraclides, Rhais, & Baſilis, & Hero,
Plutarchus pariter, quos ante ad ſacra vocaſſet.
Eccleſiæ græmio ſe quidam Ambroſius infert
Hortatu eiuſdem, victus ſermone frequenti,
Hæreſibus latè reiectis. Mammea quædam
Diues opum fouet aſſumptũ poſt tẽpora eundẽ,
Auditor fueras, qui Thaumaturge vocaris
Eiuſdem, atq; alij, quorum doctrina fideles,
Depulſis tenebris, falſiſq; erroribus, auxit.
Deſpectum pariter, qui Carbonarius eſſet,
Ac dici vellet, tu Thaumaturge vocaſti,
Vt populi paſtor fieret, quia cognitus aptus.
Tu quoq; Gundenis Virgo Carthagine nata
Opprimeris gladio multos experta labores.
Tempore ſub dicto Felicita nobilis audet,
Et pariter dubiæ complura incommoda vitæ,
Perpetua & ſecum, atq; alij: tu Zotice verbo
Montanũ, & ſcripto quondam inſectatus iniquũ
Sydera ſumma petis, rapiũt quia corpora terris.
Te quoq; Serapion Ægypti in ſede moratum
Victorem aſpicimus late, Ardeoliq. patriſq.
Gallia Irenæi ſacro madefacta cruore eſt.
Plautianum infenſum nobis, & dira vomentem
Supplicia in ſanctos; opibuſq. inſignibus auctũ
Direpta ob ſpolia, & propter delata virorum
Nomina iuſtorum ſic, vt ditiſſimus inter
Aequales eſſet, diriſſima pœna ſequuta eſt,

Occi-

Occisum insidijs generi sua gesta perosi,
Siue quod in funus quæri se forte putaret,
Siue quod inuadi Regni censeret honores.
Exciderat fidei misere de culmine motus
Hæretico quondam captus Natalius astu:
Agnoscit lacrymans facta indignissima rerum,
Ac detestatur coram Prætore sacrorum,
Verberibus noctu per certa insomnia cæsus.
Fata adijt victus mœrore extrema Seuerus,
Inde Seueriades extincto patre capessit
Imperium, fratrem perdit, ciuesq. frequentes.
Montanistarum damnatur opinio Romæ,
Inuecto contra Caio Doctore piorum
Tertullianista propugnatore repulso.
Reijcitur pariter Carthaginis Agrippinus,
Qui ponat sacrum rursus Baptisma nouandum
Collatũ hæreticis, quãquã forma integra fluxit,
Abagarus iustus quo tempore regnat Edessæ.
Caracalla fauet Magicæ cultoribus artis:
Regnantem occidit stricto mucrone Macrinus,
Occisi cineres est Æliogabalus vltus:
Cæditur, hinc cæsus Dux Æliogabalus idem
Raptatur fœde propter patrata nefandè
Crimina, & offensos per gesta infamia ciues.
Surgit Alexander Calisto Rege sacrorum:
Calistum in puteum posthac misere scelesti
Præcipitem, vt fidei testis clarissimus esset.
Vrbanus sequitur, subijt Martina salutis
Funera, dumq. subit mori virtute necandi
Carnifices subiere fidem, & sua funera secum.
Morte obit Hesichius, morte quoq; Iulius istã:
Hippolitus, Geminusq. docet per scripta fideles:
Hippolitus potuit pariter docuisse cadendo,
Mersus aquis putei iussu prætoris iniqui.
Doctor Origeneus toto iam carpitur orbe,
Ac

Ac toto pariter ſeſe defendit ab orbe.
Cæciliæ coniux, frater Tiburtius vnà
Conſilio eiuſdem admoniti tenuere pudorem,
Intactamq. fidem Chriſti: vidére volantum
Alituum ad ſeſe quendam, & diadema gerentem:
Quod latè totas perfundat odoribus ædes.
Maximus his iunctus fidei præcepta capeſſit,
Ac ſecum pariter iunctus cadit enſe rebelli.
O quam te memorem virgo inuictiſſima rerum!
Tu cælo auerſos ad ſydera dirigis actus:
Tu ſocios fidei factos cæleſtibus infers:
Tu dubios caſus illæſa ſatellitis ictu,
Et flammis ſuperas, cæloq. potiris, & addis
Virginis, & fidei, coniuxq. & martyr honores.
Concidit Vrbanus fidei conteſtis auitæ,
Pontiano ſibi ſuffecto, Anteroq. viciſſim:
Exilio primum mulctatum fuſte necarunt,
Anterus ſtudio ſimili cecidiſſe probatur.
Vicit Alexander Perſas fera bella minantes:
Hi pacem oblatam inſulsè renuiſſe reperti.
Victor Alexander fraude interceptus, & aſtu
Maximij occubuit: cuius crudelior auſus
Extitit, vt Sanctos latè vexaſſe pararet.
Ergo Rectores prius extinxiſſe laborat,
Quò liceat facilè diſſoluere corda piorum.
Conueniunt Romæ Regem ſtatuiſſe ſacrorum:
Dumq. hærent, capiti diuinitus acta columba
Inſedit Fabiane tuo, argumenta modeſti
Pectoris: eligeris tàm claro munere dignus.
Tu noua Martyribus templa ædificare ſepultis
Cœpiſti, meriti quò deferrentur honores
Immeritò paſſis, precibusq. petita referrent
Dona miniſterio Alituum commiſſa piorum.
Denique Martyrio paſtor perfungeris atro.

Priuatum hæreticũ damnant cõmuniter omnes,
Turbat ab Ecclesia Fabianus & ipse repulsum
Admonitus potuit rursus sapuisse Beryllus:
Excisis ferro reliquis, Gordianus in arcem
Imperij rapitur: pax alma sequuta vicissim
Obtinuit latè populos, domitiq. rebelles.
Romanos fines Sapor inuasisse refertur:
Gordianus Ianum reserat, Persasq. retundit.
Sed non Philippi potuit vitasse furores,
Qui sibi successit, per quem sublatus obiuit.
Helconis in montem rapta est, extincta scelestos
Vincit, & ad Superos sua per certamina tranat:
Cura fuit Babylæ pueros docuisse fideles,
Tùm rectos mores, tùm sacri dogma Senatus:
Nè fortè insidijs contrà insurgentibus essent
Imbelles animo, & sanctum baptisma negarent.
Plotinus Romæ tùm floruit, Heracla multum
Fauit Origeneo: contrà Dionysius audet
Oppressisse hominé, quasi conditor hæresis esset:
Ipse tamen negat, ac sese per scripta tuetur.
Scripsit Origeneus Philippo verba salutis:
Auscultat fidei Ductor Romanus, & omnes
Pectoris expurgat lotus Baptismate sordes:
Impia iura abolet, fouet immortalia rerum,
Mox ferro opprimitur Decijs à morte sequutis.
Fortè Magus quidam Ægypti cõmouit iniquos,
Iustorum vt cædes fierent, & damna bonorum
Immeritò ferrent notæ pietatis alumni.
Occurrunt alacres incommoda adire parati,
Pro Christo plures: truncatur Apollona ferro,
Serapion pariter, Metras, & Quincta necati.
Donato extincto, Carthaginis opportunè
Eligitur pastor Cyprianus, grandior æuo:
Hic sese abluerat sacri baptismatis vndis,
No-

Nobilis eloquio, nulli pietate ſecundus:
Quippe ſuas diuiſit opes conſtanter egenis,
Amouit natos, pariterq. vxoria rerum,
Perfectæ vitæ ſtudio, pietatis amore.
Idem ſub Decij tempus diſcrimina paſſus
Dura nimis, iuſtos fouit, pariterq. modeſtis
Cum primæ ſedis Clero ſermonibus vſus,
Ambiguus rerum reſponſa fidelia poſcit,
Ne ſubeat falſum, longè vt diſtare putaret.
Maximus, & Moyſes Romæ pia funera paſſi.
Tu quoque Partheni, tecumq. Anatolia virgo,
Atque Secundinus, Marcellinusq. vocati,
Ac pariter Verus, pariter Victoria victrix:
Congreſſu Æmili patiens, & caſtè Secundo,
Quinctus, Alexander, Pompeius, Maximus aucti;
Ac ſecum ſocij plures, quos Africa tellus
Progenuit, victis per prælia dura Tyrannis.
Vrbs ab Alexandri quæ dicta eſt nomine Magni,
Permultos alios dederat ſuprema ferentes
Funera, pro Chriſto latè certaſſe paratos.
Ergo cadit Cronion, (viſus) per dedecus ingens,
Iulianus cecidit, qui fortè podagricus eſſet,
Circumuecti vna, flammis abſumptus vterque:
Et Beſas perit, effuſi qui ſanguinis vltor
Eſſe parat miles iuſti, dum ſubdit eundo
Militia meliore vſus ſua colla ſecuri,
Impauidus, mortis victor, ſpectacula factus
Alituum, atque hominum, bina Ammonaria, Macas
Abſumptis flammis viuus, Dionyſia mater,
Mercuria, Epimachusq. Afer, atque Hedorus, & Heros,
Nomine Alexander, Nemeſis, Zeno, Ingenus, Ammon,

Atque alij hortati persistere mente fidelem
Quendam ob supplicium iam iam sermone labantem.
Maura alibi, Timotheusq. pari per dura laborũ
Connubio inter se iuncti, cecidere sub ictu.
Non ego centena si lingua, aut ore referrem,
Diuinos casus possem memorare piorum:
Quippe alij ferro secti, pariterq. necati,
Absumpti trucibus flammis, mersiq. sub vndis,
Obiectiq. feris alij crudelibus, atram
In mortem rapti per mille pericula vitæ
Sydereos tractus, sedes tenuere beatas.
Hi saltus petiere fuga, & cæca antra ferarum
Vrbibus eiecti, errantes; hi frigora passi,
Atque famem immeritam; plures at præda latronum:
Externos inuiti aliàs subiere recessus,
Seu malè mulctati seuis cecidere sub armis.
O mihi tantarum si quis vestigia rerum
Posse sequi dederit, si pro te Christe labores
Suscepisse nouos, quò mens purgata scelestis
Pura volet terras hic fastidita rebelles.
Felices animi, quorum pietate ministra
Aucta stetit virtus, lateq. refloruit orbis:
Cheræmon Nicho grandæuus Episcopus vrbe
Aufugit nullis posthàc compertus in oris,
Motus Origeneus recto referendus adesset.
Infelix primò, quia sese exciderat ante,
Infelix etiam, quod thura adoleuerit aris
Infandis, nè forte sibi contingeret olim
Cuiusdã assumpti Æthiopis muliebria per vim
Ferre, ministerio nondum confidere doctus;
Vt senior, plena Domini de sorte repulsus,
Vt fragili casu rueret, non perfidus hostis

Ne-

Nequitiæ impulſu, ſed qui reparabilis eſſet,
Humanum quiddam paſſus. Tu doctior inter
Iuſtorum cætus ex hoc ediſcito nunquam
Præſumpſiſſe ſatis, quamuis tibi fortior adſit
Auſus doctrinæ fulto munimine ſacræ:
Quippe fauor poterit te deſtituiſſe ſuperbum
Plenus, & humanis latè rationibus vſum
Deſinere, vt cœcò mergantur corpora cœno:
Dum fatum impendens, ac nexus acerbior inſtat
Cauſſarum turpes ſecum traxiſſe per actus
Libera, ſed certa præſumpta cupidine corda,
Rerum humanarum non præſcindentia terris,
Chriſtiadum quendam parcens iuuenilibus annis
Dimiſit Iudex, non vt dimiſſus abiret,
Sed ſua quò fieret ceſſo mutata voluntas
Tempore, reſtincto mentis feruore perenni.
Quendam poſt ignes conſtanti pectore paſſos,
Melle linit liquido, rapidi tùm ſolis ad æſtus
Exponit rabidis carpenda ea corpora muſcis.
Immiſere pio nudato veſtibus artus,
Vinclisq. obſtricto pulchram, reprobamq. puellã,
Quæ ſtimulis carnis ſtudeat ſuperaddere calcar,
Atque vrgere virũ in ſcelus, atque infamia rerũ.
Ille titillantes à ſe quò diſtrahat auſus,
Nè ſibi contingat mentem ſpoliaſſe modeſtam,
Ac ſuper hoc animis infligi vulnus acerbum,
Quò ſibi contingat ſenſu vitaſſe dolorum
Immeritam noxam, morſu abſcidit illicò linguã,
Ac ſpuit in faciem corruptæ membra puellæ.
Illum eadem ſeruat, fugat hanc præciſio linguæ.
Anachoretarum princeps, qui nomine Paulus,
Vt contra armatæ vitet diſcrimina gentis,
In ſyluas abijt, longèq. remota locorum:
Delituitq. diu, donec miſſo Alite ab aſtris


Edoctus multis post hæc Antonius annis
Semotum reperit sæua inter bruta latentem ,
Fundentemq. preces, Numenq. in vota vocantẽ;
Cæsareæ passum duris cruciatibus angit
Hostis Alexandrum : virgo Reparata per vrbem
Semusta abstrahitur circùm, tandemq. necatur.
Galation Emesæ, sociatus Epistenius vrbe,
Tunc Babyla instructor, tunc Prilidianns, Epol-
nus ,
Vrbanusq. cadunt, tunc Carbonarius vnà,
Mercuriusq. , Troasq. puer, tuuc Regia cæli
Disiecit latè reserato cardine postes .
Lucius adduntur, Thyrsusq., & Apollona secũ,
Callinicusq. , & Christophorus, Lycus, addito
Conon :
Pamphiliæ Papiam, Diodorũ, & Nestora patrẽ
Sacrorum gentis , Claudianum . Hoc tempore
septem
E Sanctis profugi in specubus dormisse ferũtur ;
Maximus obruitur saxis, Lyciæq. Themistes
Raptatur, cæsus iam fustibus, ecce Cyrillus
Gortinæ sequitur , sequitur Cononq., Mironq.,
Cedratus, quini & socij, Fulloq. Menignus ,
Cum socijs Paramon, Sennen subrepulus, Abdon,
Chrisoteles, Elimas cum Parmenione sequuti,
Mutius, & pastor Polichronius , Alite doctus
Mercurius Ductor, Lucas, & Olympius aucti .
Tu quoque Vitalis, tecumq. Theophilus & qui
Cæsarius dictus, seu qui Germanus habetur :
Maximus his addendus erit. Tu schisma Nouate
Conflas : & nobis dum crimina nostra lauari
Posse negas lapsis, te lapsum in crimine formas.
Non ego vos taceam, quorum virtute subacti
Sunt hostes Latij , quorumq. fidelibus ausis
De-

Decantata fuit Romana per oppida virtus.
Tu mihi prima volas Agatha, illustrissima terris,
Scissuram in mammis, variosq. experta labores,
Ardentesq. rogos, & verba minacia, & actus
In sexu fragili sexus transgressa viriles.
Tu fuscam socias ò nutrix Maura puellam:
Vosq. Secundinam rapit, Albinamq. fideles
Caussa eadem, & similis reserat Victoria cælũ.
Tu Magnus patriæ pater, & tu Bassus adeptus
Æquales obitu simili dicére coronas.
Consimilis gradibus, te Feliciane colendum
Dixero, Anastasium, Cyriacum, aliosq. cadẽtes,
Teq. Saturninum: mihi tu Florentius istis
Adnumerandus eris, qui non florescere sistes;
Non ego Faustinum tenebris inuoluero Faustũ,
Non Laurentinum, Pergentinumq., Felinumq.
Et Miniam, & Gratum, Iulianum, aliosq. frequentes.
Nulla extat Regio, careat quæ sanguine nostro,
Nullaq. non vidit Sanctorum funera tellus.
Ecce piorum audes, vincisq. Eudæmone lapso,
Ense cadit Decius, ne progrediatur acerbis
Vlterius manibus: Cornelius Vrbis, & Orbis
Decretus pastor, post tempora damnat iniquos,
Concilium indicens Romæ; mox ense necatur,
Ac secum suprà viginti ob nomina Christi.
Munera defuncti tenuit suffectus eidem
Lucius: at Gallus, Volusianusq. Tyranni:
Tùm quasi tempestas maior cessasse videtur,
Ac sanctæ Ecclesiæ visa est pax reddita maior.
Desierat gladius, pestis grassatur in orbe:
Ac rursus gladius summota peste nouatur.
Pulsus ab exilio reuocatur Lucius; astra
Obtruncatus adit Stephano subeunte sacrorum

Munera Pontificis. Gallum, sociumq. trucidat
Miles, Gallienus, sociusq. capescit habenas.
Hos Magus impellit ductos in pessima rerum
Contra Christiadas cædes iterare nefandas:
Eusebius vicit, Paulina, Adriasq., Neonq.
Maximus, & Maria, Aurelia, & Martina cadēdo,
Et cui Lucillæ, Stephano ductore sacrorum
Concurrente, fuit quondam lux reddita cæcæ:
Et Nemesis pater, & Sempronius, Olympus, & vxor
Exuperans, natus Theodas, Ruffina, Secunda
Sponsæ, coniugibus fidei statione fugatis.
Bisseni è Clero Romæ truncantur; & idem,
Qui Tertullianus sanctorum condidit artus:
His Stephanus similis, quē facta tonitrua seruāt,
Vt fugiant hostes superis in vota vocatis.
Mox iterum aggressum occidunt, & verbere mactant
Sopricium inflicto iuuenem. Dionysius errans
Carpitur à Stephano, meliora, fidemq. probatā
Ingenuè repetit. Confusa Sabellius affert
Diuinis in personis: sed dogma repulsum
Reijcitur Patribus, quòd falsū inuoluat apertè.
Priscus, Alexander, Malchus cecidere vicissim.
Nicephorum, fama est, odio grauiore petitum
Successisse locis inimici: hic namq. negarat
Fortè fidem in pœnis, cùm condonasse negaret
Prætensam offensam fratri: ergo interritus instat
Spernere carnifices reparans dāna omnia primi
Nicephorus, claroq. exornat funere vitam.
Lactentes videas auelli ex vbere natos,
Auulsis natis mulctari verbere matres.
Hos patria pulsos, illos ad bella ferarum
Damnatos, alios placuit succidere ferro:
Præ-

Præcipites etiam multos misére ſub vndas:
Extinxit plures ignis: pædore ſoluti
Sunt alij vinclis obſtricti, & carcere tetro.
Sunt, quos excruciat ſitis importuna, famesq.,
Et quos infeſtant gelidæ rabida ora pruinæ:
Torturæ exercent quoſdam, properata videtur
Mors minimum è damnis: non eſt, quos pœna retardet
A Chriſti obſequijs, modo ſit victoria curæ.
Sixtus erat paſtor, quem poſtea conficit hoſtis:
Hippolytus miles diſcerpitur, & ſua nutrix
In pœnis animum exhalat, ſocijq. necantur.
Cæſus Irenæus, cui victor Abundius auctus:
Magnanimus pariter vincit Laurentius igne
Afflatus, damnat ſua dum per probra Tyrannum,
Vt cedat vexans, prius vt deceptus in auro eſt,
Quod non ex voto dederat vexatus egenis.






ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER TERTIVS.





Ecce autem satis Doctor Cyprianus acerbis
Martyrio cessit: miscent sua funera secum
Quattuor, atque alij Carthagine in vrbe treccenti:
Ingenuũ superat Gallienus, & vltima in orbis
Sede rebellantem latè profligat eundem.
Supra triginta pereunt Carthagine passi:
Tuq. Theogenius pastor, tu nata secunda
Bissenis annis, tu Maxima, Donatilla,
Et plures alibi, Agapius, Marianus, Iacob,
Atque Secundinus, tuq. Æmilianus, & vxor
Quōdam cum geminis, Tertulla: Antonia virgo,
Ægypti in Regno sexum mentita virilem,
Dat Romæ iugulum post multa illustria rerum;
Et socius Protus cecidit, sociusq. Hiacynthus,
Basilla, Emerita, & Digna, & Lucilla virenti
Cum Flora, atque alij, quos texere longius esset.
Gallia priuatum, & Florentem protulit, & qui
Philippis potuit cursus reserasse salutis:

Hi-

Hiſpani Augurium, Eulogium, patremq. ſacrorũ
Tarraconenſem Chriſto iunxere necantes.
Deficiat tempus, ſi commemoraſſe laborem,
Quos in cælũ omnes miſit terra inclyta fructus.
Nobilis Aſterius ſublati membra Marini
Pro Chriſto extincti ſacris dedit inde ſepulchris.
Gallienus caſu patris perculſus, iniquam
Sæuitiam in Sanctos frænat: quippe ille Saporis
Militibus captus ſeſe curuabat in vlnas,
Vt ſuſtentaret conſcendere contendentem.
Sixto martyrio functo, Dionyſius almam
In ſedem optatur meritò, qui dogma Sabelli,
Et ſocios damnat cum ſectatoribus horum.
Gallieno extincto ſucceſſor Claudius obſtat
Chriſtiadis, cædit paſſim, iugulatq. Cyrillum,
Triphonæ genitam, multos de milite truncat.
Audifacem, atque Abachum, Marium, Marthamque parentem,
Occiſi plures, quos damnauiſſet arenæ.
Claudius occubuit tactus lue: munera Regni
Aurelianus obit, cuius dextra impia tactu
Scripturæ obriguit, quam conſeciſſe ſtuderet
Contra Chriſtiadas. ſed poſtea rurſus in illos
Fertur, Symphonium, Paulũ, Remerinaq. cædit,
Zenobiam victam Romana per oppida traxit.
Occiditur Felix paſtor ſuffectus in ijſdem.
Eutychianus erat ſua munera deinde ſequutus,
Et ſequitur cæſus veſtigia: deſtinat aris
Sacrandos fructus, qui ſint per tempora lecti,
Ac Probus extiterat, Tacitus, Carusq., Carinusq.,
Et frater, paucis qui deceſſere diebus.
Deme Probum reprobum, qui Dorimedonta necauit,

Sabbatium, & Trophimum: probus hic tamen esse probatur,
Si successoris crudelia tempora spectes.
Pastor erat Caius, quem Diocletianus iniquè
Occidi iussit: bissenis protinus annis
Claudius, Asterius, Neus, & Domicilla, sororq.,
Antimus, Eupropius, tuq. ò Damiane, Leonti,
Et Cosma, atque alij, qui non libasse reperti
Dijs fuerint, positis ad rem impulsoribus omnē.
Inualuere lues hac tempestate Manetis,
Plurima iactantis rerum portenta malarum.
Is publico edicto frænat, Macharius actu,
Quippe hominem vita functum, quò recta probetur,
Firmeturve fides, vitæ reuocasse refertur,
Eludi quia nam astutè sua dicta videret;
Tandemq. ex voto cecidit res hoste fugato.
Assumptus fuerat iam Maximianus in orbis
Imperium secum, vitæ cum funera passi
Andronicus pariter, Tharsusq., Probusq. fuerunt.
Norat Domna fidem dictis instructa Cyrilli;
Et quia sensisset casu sacra acta legendo,
Præfecto teritur delata: angustia victus,
Ni Deus è cælo det nutrimenta salutis
Consumat corpus, nec iam sit vita superstes.
Secum Eunuchus erat, Iudex certasse laborat,
Blanditijs animo Domnæ insidiatus, & astu.
Illa Energumenam simulat se: traditur ergo
Illicò pastori gentis curanda vicissim.
Sic mentem effugit virgo incorrupta nefandam.
Princeps collegæ satagit iunxisse Susannam
Connubio: illa tamen secum indignata maritum
Dissensu certat: patrem sub compede vincit
Pro-

Propterea Princeps. iam virginitate puellam
Florentem vxori, quæ Christi iura colebat
Occultè, tradit: sed confirmata recedit
Consilijs virgo aucta nouis, vt perstet abundè.
Ergo inferre parat sibi vim collega propinquã:
Reijcitur, mirum, retro splendore frequenti
Actus, & inde fugit, diuinitus impertito
Præsidio famulæ Domini: iam credita fallax
Iudicio illius fuerat cacodæmonis astu,
Sic veluti magica defenderet arte pudorem.
Ergo cadit iussu virgo truncata scelesto,
Et Caius cecidit, quasi sanguine iunctus eidem.
Marcellinus erat pastor: bacchatur in orbe
Sæuitia in Sanctos, vt fastidita cruores
Humanos rabies, Thermas struxisse pararet
Vesana ingentes magno sudore piorum.
Iamq. sub Agauno legio sua funera monte
Pertulerat, Christi baptismate lota parentis.
Ergo succrescunt vastæ Carthagine moles,
Succrescunt etiam Romæ: iam Thraso fidelis
Diues opum sustentat ouans, escasq. ministrat.
Nocte ferunt alij, damnantur nocte reperti:
Dumq. Saturnini impulsu pietatis amico
Fessa labore leuant senioris membra frequenti,
Deprensi immeritas pœnas retulisse coacti,
Cyriacus, & Largus, Sisinnius, atque Smaragdus:
Sed multos prius ad Christum traxisse feruntur,
Compedibus vincti. tali à sudore superstes
Cæditur. heu miseros cæca ferrugine mersos!
Non vixisse decet, memorant, ne sceptra capessant:
Innumeros ergo Dijs thura negantia fictis
Militiæ astrictos per sacramenta trucidant.
Tu, Dux Militiæ verè qui Maximus esses,
Op-

Opprimeris gladio, & chara cum coniuge nati,
Tu sacri verbi à pueris qui semina iactas,
Et fructus magnos magno cum fœnore carpis,
Subsequeris Samona, Tyrannio, Guria Martyr:
Subsequeris Petrus, qui factus Episcopus esses,
Vrbis, Alexandri quæ nomine dicta perenni.
Claudit Anastasiam sub carcere Publius ausam
Blasphemasse Dijs patrias rediturus in ædes,
Vrgente in Persas decreto Principis acri.
Sed nondum redit infelix: dum pergit eundo
Occumbit: coniux fit carcere libera rursus,
Pauperibusq. impertit opes, Sanctisq. vocatis,
Tandem Chrysogoni monitu, dictisq. fidelis,
Dum rursus capitur, latè firmata per vndas,
Per flammas, ferrumq. simul cæli ostia scandit,
Vt cursu duro, at seclo fruitura perenni.
Princeps de Persis victor, Parthisq. triumphat,
Andræas, pauciq. alij fudere cohortes
Persarum immensas: sed cognitus inde fidelis
Cum socijs tandem iugulum dare cogitur ensi.
Interea terras latè pax alma fouebat:
Pluribus euictis, debellatisq. Tyrannis.
Ergo in Christiadas acuunt certamina rursus,
Conspirantq animis hos debellare superbis:
In genus omne trucis sumpta feritate feruntur
Ignari rerum Domini, sortisq. beatæ.
Non regio immunis fuit, aut intacta malorum
Excursu, nulli potuere vacasse recessus,
Indignos aura vitali prorsus habentes,
Qui Christum appeterent, & Christi nomina ferrent:
Ac verè dignos ex hac qui nocte volarent
In superos tractus, & summæ in lumina sedis.
O vos felices, qui per compendia mortis
In

In Regnum vitæ longè melioris adacti:
Tollite nos Diui non detrectare videtur
Mens nostra, vt cupiat terrena è sede recessus.
Te Sabine canam primum, cui vera venustum
Edocuisse datum, male qui vexasse fideles
Marcellum potis, ac socium Exuperanta fuisset.
Sæuitiæ princeps crudeli mente recursans
Multa perorabat, quò retraxisse liceret
Christiadas fidei recto de tramite sacræ,
Blanditias agitans, atque ora minacia versans;
Glycerius senior contra, sed vocibus infit:
Nos Christi soboles, cæli quibus annuit arcem
Humani vindex generis, qui corpore terras
Incolimus, terris abstracti protinus imis,
Mente tamen, facilè si vis torquere sequentes
Adsumus, in nullis contrà certare parati:
Quod si blanditijs nostrum subuertere pectus
Rere tuis, scito minimi facienda videri
Mortalis vitæ nobis quæ commoda iactas,
Christus amor nostri est, nostri solatia Christus,
Quem Deus humanæ statuit medicamina noxæ.
Si tibi stat seruire Dijs, si tartara curæ
Sunto tibi, ac rerum sectari inimica piarum:
At nobis Christo, nobis placuisse parenti
Æthereo est animus, castumq. fouere pudorem:
Digressus noster quàm fortè citissimus olim;
Sic pariter nobis longè optatissimus esto.
Vix ea, cùm subitò commota mente Tyrannus
Exilijt gradibus, queis pessimus hæserat; altis
Nescit stare locis, cumulat per iussa furorem:
Ac veluti feruens cum fortè ebullijt vnda
Si tibi materiem, seu nutrimenta futuræ
Arida contigerit noua supposuisse fauillæ,
Excutitur vapor ære cauo, & iam nescius humor
Con-

Concessæ quondam sedis diffunditur æstu.
Talis erat Princeps: ergo furit impius ira,
Et varios adhibet, quos cæca libido ministrat,
Pœnarum cumulos. tandemq. extrema morarum
Impatiens molitur, & inexaturabile pectus
Ignibus accensis, flammisq. voracibus explet.
Propter Domnã idem Christo inspirãte, Dearũ
Obsequijs amotam, animis certatur iniquis.
Archieunuchus obit cæsus, quia fallat eundem
Æquis consilijs cælans, habituq. virili
Virgineos cœtus Monacharum, ædesq. sacrarũ
Distraxisse locis, demolitus ve refertur.
Tu mihi iam fueris dicenda Theophila verbis
Virgo decens, tu certa meis conatibus adsis:
Et iam Diua refer casus imitabilis actus.
Ecce satellitibus dum virgo Theophila sæuis
Prostituenda viris turpes raptatur in ædes,
Pallores inter medios, mediosq. timores,
Sic in se Superi conuertere lumina sponsi,
Et sic præsidium Iesu sperasse laborat:
Salue Rex hominũ, Alituum Rex inclyte salue:
Tu, cui despondi corpus tenuisse modestum
Christe parens, pectusq. meum, qui diceris inter
Lilia virginei depasci casta pudoris.
Cernis præcipites animos in probra meorum
Membrorum: cernis me non obstare potentem,
Non vires adsunt, non impeditiua facultas:
Est animus mihimet seruasse fidelia tecum,
Non rupisse fidem, aut retrò concessa referre:
Quæ dederas, retuli, tua sunt, tibi reddere dignum est;
Quæ manibus fluxere tuis, curasse labora.
Sic placidè Iesum lachrymis affatur obortis:
Virgineæ maduere genæ, vox faucibus hæsit.

Au-

Audijt Omnipotens famulam : petulantius ergo
Insiliens iuuenis, cecidit terroribus actus,
Sic alij pariter, qui successere secundò.
Quippe Ales cælo missus defendere certus
Astitit excæcans nimio splendore ruentes
In sacrum caput : illa legens Diuina librorum,
Quos gestare sinu consueuerat ante pudico,
Sydereo patri grates agit. Ergo frequentes
Ingressi vidisse oculis ea facta studebant:
Laudauere Deum mirati singula rerum:
Inde abeunt celeres perfuso corda pauore.
Ales vbi eductam sacras perduxit in ædes,
Euolat in cælum, tenuesq. retexuit auras.
Princeps hoc Magicis adscribere viribus audet,
Vt sic adscribens cælestia dona repellat,
Nec pateat posthac sibi semita certa salutis.
Mygdonus interea, Dorotheus, Mardonius, Indes,
Atque alij plures per funera sæua necantur.
Natalem Christi noctem celebrasse laborant
Sanctorum cœtus, qui conuenére frequentes:
Dum versant laudes Christi pæana canentes,
Extimulant animos reproborum turba virorum
Thus offerre Dijs. quod si qui fortè recusent,
Appositis flammis tentasse minacius instant.
Vna, eademq. pari studio vox reddita gentes
Impulit iniectis clausos absumere flammis.
Excipe Christe pater, sintq. hęc holocausta piorũ
Nostra salus, nostro fungantur munere tecum.
Ecce iterum reprobi terris conuellere certant
Iustorum cœtus, iterum crudelia poscunt
Cruda magis, pariterq. ausi miscere prophanos
Cum sacris ritus. Ergo iam diruta templa,
Iam libri absumpti Diuinæ legis ab igne
Tur-

Turbauere pios, patres in vincla redacti,
Munera Nobilibus, libertas prorſus adempta
Priuatis fuit, ac nemo de millibus olim
Tutus, vt in medio pinus nutare profundo
Credideris vidiſſe, maris dum fluctuat æſtu.
Proditor immunis pœnæ fuit: impia feruet
In fortes rabies rerum veſana malarum.
Illa decem viguit, totidem quam pertulit annis
Chriſtiadum cœtus, viginti vt menſe ſub vno
Millia conciderint cælum inuaſura profundum.
Propoſitum edictum publicè contra agmina Chriſti
Quidam Chriſtiadum videt: indignatus iniquũ
Conſilium, ſtudiumq. hominũ, ne fortè timendũ
Simplicibus nimium fiat pleriſque piorum,
Scandala quò tollat pro viribus, & ſua diſcant
Complures exempla ſequi, & non temnere Numen,
Ac leges Ieſu ſacras, nomenq. verendum,
Sed potius diſcant iniuſti principis actus,
Et leges ſpreuiſſe feras: conuellit, & audet
Affixum edictum publicè diſcerpere portis,
Nomina tanta latent, clara quæ luce fuerunt
Digna, velut poſthac exempla imitanda fuiſſent.
Ergo carnifices ſubeunt, direq. trucidant.
Potamon effoſum oculum ſibi pertulit: at tu
Euſebius ſcriptor, quò carcere ſoſpes abires
Imponis male thura focis miſerandus iniquis.
Petrus erat, ſalis iniectu, ac perfuſus aceto
Cratibus impoſitus, ſubiectoq. igne crematur.
Antimus opprimitur, Dorotheus, Gorgonius, Heros,
Hunc cremat, hunc truncat, quem foſſæ ſubruit, & quem
Mer-

Mergit aquis rabies ſuſpenſo pondere collis:
Sic plures alios ſecum, ſuccenſa domorum,
Regia iam fuerat, ſæuo quamplurima Chriſti
Agmina traduntur læthо ob prætenſa reatus.
In Syria, atque alibi detenti compede multi
Compleuere domos paſſi ſuprema malorum.
Zeno de tumulis coram ductore virorum
Sollicitus reuocare animos in praua ruentes,
Quippe ſacrum Cereri facerent: Vos, clamat, abundè
Ignari rerum cultu ſimulachra neſando
Turmatim petitis, veſano more ſequuti,
Numen tentantes in veſtra pericla verendum.
Dixerat, extemplo contunditur ora furentem
Per lictorem aliàs crudeli principe miſſum:
Ac demum indignè rapitur vitalibus auris.
Quidam interceptus, quoniam cælaſſe laborat
Literulas portans, qui ſeſe forte legaſſet,
Præciſam linguam eſt, & proxima funera paſſus.
Lætitia exultat Præſes, cedente duobus
Poſt annis quodam duris conatibus hoſtis.
Contra nos Hierocles, contra Porphyrius audet
Scribere: pro nobis verò Lactantius audet,
Atque alij ſecum, quorum doctrina probatur;
Conſtituunt medios nullo velamine tectos
Iuſtorum plures, velut ad certamina ductos:
Fuſa Theatrales circumſtant mœnia campos,
Bellua præcipiti ſubmittitur ardua morſu,
Alliciunt iuſti iuxta decreta Tyranni.
Non tamen oppoſitos tentat læſiſſe piorum:
Sed retro reuocat ſua per veſtigia curſus,
Non ſemel, atque iterum, vt iuſtis mitiſſima noſtris,
Sic contra iniuſtas latè immaniſſima gentes,

Phi-

Philoromus passus, passus Philæa fidelis,
Procopilus pariter Clarus, Zachæus, & Alphæ
Vitali nodis aura intercluditur oris,
Dum reuocat Gentes Dijs thura adolere paratas.
Marcellinus erat pastor: formidine pœnæ
Miscuit ille focis quondam impia thura scelestis,
Attamen extinxit profuso sanguine rursus.
Lectus Pontificis Marcellus munera supplet,
Martyrio Petrus, Marcellinusq. notati:
Dorotheus sequitur fidei vexilla satelles,
Visa sibi memorans propter patrata sceleste.
Maximus ense cadit, cadit & Sisinnius ense,
Lucinam hi celebrem, & spōsum peperere beatis:
Felix cum quatuor passus, nè proditor esset
Sacrorum quondam librorum; alijq. vicissim:
Inter Martyrio functos Crispina refulsit
Fœmina, quæ multos potuit superasse virorum.
Donatistarum quo tempore schismata surgunt,
Crispinus, Felix, Potamon Iulius aucti,
Atque alij septem, pariter Marciana virago,
Eutychius, Polius, Timotheus, & Candida secū:
Candida, quæ facta est perfuso rubra cruore.
Collecti didicere pati virtutis amore
Plures, virtutem coram Prætore professi,
Innumeros patitur casus Gazensis, & ignes,
Agapio, Theclaq. feris immane vorandus.
Se retegunt alij coram Prætore sequentes
Euincti dextras, ac demum funera passi.
Numquam deficiat vestrum celebrabile nomen
Lecti hominum, vestro qui Dia volumina nobis
Sanguine seruastis, quò lux præclara supersit
Mentibus humanis medijs quasi noctis in vmbris,

Illos

Illos caligo, nox, atque obliuia mergant,
Qui reprobo ex voto, ne quid paterētur acerbū,
Nulla habita ratione Dei, rerumq. piarum,
Et nulla nostri, quorum successio surgit,
Concessere vltrò scindenda ea scripta Tyrannis.
Bini collegæ gradibus cessere superbis,
Spe moti se posse animos vicisse fideles.
Maximianum Oriens, terræ pars altera Chlorū
Extulit, hic dictus fuerat Constantius. illi
Contempsisse Deos placuit, nec fallere Numen:
Exploraturus fidei certissima Gentis
Pignora, proponit Chlorus se cedere cunctis,
Vtra sequi legum, sibi quæ meliora putentur:
Hàc Christi abscedat Miles, non illius illàc.
Optio fit, sequitur discussio clara piorum.
Ergo reiectis vt desertoribus vnis,
Assumpsit reliquos vt pectora fida gerentes.
Iam multæ cædes, qua Maximianus obibat
Munera ductoris, misero renouantur in orbe.
Sternuntur latè pueri, iuuenesq., senesq.,
Fœminei cœtus, quos virginitatis honores,
Et quos maternæ decorant insignia laudis,
Martyrij subeunt constanti pectore morsus,
Deductis secum lactentibus vbere natis.
Agmina syderei superant splendentia cæli,
Et scintillantes cæca sub nocte cohortes.
Ergo occurrentes in damna feruntur ouantes.
Ecce mihi ante alias sese præclarior offert
Agnetis virtus, quæ contemplata mariti
Diuitias Superi. refugit quasi stercora terras,
Ecce mihi in Christo dum confidentius audet,
Seu iuuenem impurum, rapidosve satellitis ignes
Alitis arbitrio bene custodita fefellit.
Bissenos eadem vix dum compleuerat annos,
Cùm

Cùm foret è cunctis longè pulcherrima forma.
Succidi vt teneros passa est sua corpora flores,
Exemplum Agnetis collactea virgo sequuta est,
Dum tumulis astat venerans superobruta saxis.
Non his absimilis dicenda est virgo Soteris,
Quippe genas colaphis,& candida colla securi
Exposuit, nullis conterrita protinus armis.
Huic Agape similis, secumq. Chionia Irenes:
Demetrius clarus fit de Proconsule Martyr,
Vt latius fuerit quàm de Proconsule Consul.
Vlpianum iuuenem certamina clara decorant,
Edesium, Gordium,Balaamum,Dorotheamq.
Et qui Dorotheæ promissa & mala,rosasq.
Per derisum optat, recipitq. Theophilus astris.
Vrbanum Lycius quondam incendisse paratum
Thura Dijs retrahit casus perpessus iniquos
Propterea,vt mersus fuerit sua corpora ponto,
Ponto propterea iustas monstrante querelas:
Iulictæ campis inhiante satellite cedit
Pulsa,quòd in Christi se fidere nomine dixit.
Inde etiam flammis bustum incombusta necatur,
Educens gelidos ibi per miracula fontes.
Eutychus, & Proculus, Ianuarius, Acutius, Ossius
Dura ferunt, mortemq. simul. iam Victor in vndis
Immeritò mersus cadit, Aglaidisq. prophanus
Assecla formosæ quondam Bonifacius ense.
Iam multo cineres precio mercantur,& auro
Christiadæ cupidi extinctos coluisse piorum,
Vendita viginti sunt corpora cæsa theatris.
Subiectis facibus fidei cum robore scandit
Fuso ex ære boues præcincta Pelagia pectus.
Iuliana, & Iulicta parens, & Quiricus infans
Cæ-

Cæditur, & Theonas, focij Cyrenia, Sozo:
Plurima dicuntur, ſed multò plura tacentur
Nomina, vt innumeræ tacitis referantur arenæ.
Iam Marcellus erat paſtor, Theodoſia virgo
Proijcitur ponto, ſub compede Pamphilus hæ-
ret:
Hi, quos non penitus pœnæ abſumpſere prio-
res
Succeſſere locis pœnalibus, vt ſua plenè
Vita miniſterio Chriſti ſacrata maneret.
Non fugiant noſtras hæc facta celebria chartas:
Claudatur claris hæc pagina noſtra triumphis.
Vir fuit, abnuerat ſuccendere thura prophanis
Ignibus, vt toto, dum contigit impia ferri,
Corde repugnaret: bella ergo ferocia miſcent
Oppugnaturi non expugnabile robur
Humanæ mentis, quæ fidere conſcia Chriſto eſt.
Iam palmas aperire iubent, altaria ſubſtant,
Inijciunt manibus prunas, prunisq. receptis
Thura ſuperponunt: vincat patientia Miles
Nequitiam hoſtilem. ſi fortè excuſſeris ignem,
Thuraq. de manibus, ſi fortè remiſeris vlnas
Abſtractas flammis, rabidove dolore fauillæ:
Illicò perfidiæ damnabere crimine victus.
Sin verò ſtabili, ac certo conamine prunæ
Ardorem, & caſus poteris ſuperaſſe nocentes:
Nè te deijcias, nec ſuſtentare recuſes
Ignitum pondus, tota vitiabere dextra
Læſus, vt hos memorans iam ſpiritus horreat
actus;
Nemo illi metuat, non vincitur, vritur idem:
Vritur, vt plenè cedat victoria paſſo.
Palma fit iſta Dei, dum ſic perit, ara paren-
tis.

His

His ita transactis se Constantinus in arcem
Imperij insinuat, latè plaudente Senatu.
Hunc Diua ex Helena quodam Constantius Heros
Terris progenuit fatis felicibus vsum:
Quippe expurgauit cunctas per tempora gentes
Labe Tyrannorum, & sacro baptismate lotus
Eripuit sordes animo, immensumq. piorum
Ecclesiam fouit, terreniq. insuper orbis
Participem effecit Diuinæ lucis ad ortum,
Seu Crucis expressum diuinitus aere signum.




EC-

ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER QVARTVS.





Onſtantinus erat Princeps, quem Gallia primùm,
Ac Gentis collecta phalanx fouiſſe refertur.
Contra obſtare viro ſatagit Maxentius armis:
Et iam felle grauis ſecum, diſcrimina verſans,
Caſtra inimica parat, ſimulataq. pectora geſtat
Sollicitus traxiſſe pios in prælia ſecum.
Interea ſchiſma exoritur, quod conflat iniquus
Meletius gradibus propter ſcelerata repulſus
Geſta ſacris; contra commoto Antiſtite Petro,
Meletius thura indignis adoleuerat aris
Impius, & multa ſordeſcere labe repertus.
Nondum erat extinctus furor, aut crudelia Regum,
Geſta ſuperborum, nondum deſecerat ira:
Virgo Valentina, & Paulus cum funera paſſi,
Gazenſis virgo, pariterq. Antonius auctus,
Zebinas, & Germanus, virgo Ennatha ſecum,
Compluresq. alij, quorum præclara fuerunt

Exempla, atque animi vita meliore coruſcant,
Merſa licet ſedeant caligine nomina terris.
Qnin etiam hos artus, & corpora functa diebus
Proiecere foras morſu lanianda ferarum,
Vt iaceant inhumata diu, rapidoq. feratur
Effuſus vento cinis, atri pulueris inſtar.
Virgo opibus nimijs, ſplẽdoribus inclyta ſtirpis,
Atque ſcientificis doctrinæ ſenſibus aucta,
Nobilior fuit illa tamen pietate perenni:
Huius Maximius deprenſus amore puellæ,
Inſidias caſto ſceleratáq. damna pudori
Præparat, effrænes quo compleat impius auſus,
Poſthabuit ſordes, humanaq. lucra decori
Legibus, & recto virgo clariſſima rerum.
Arripit inde fugam ſibi conſultura ſalubrem,
Nomine Dorotheam plures dixere puellam:
Ergo fuga certans peperit ſibi præmia laudis
Perpetuæ melius, quàm ſi certamen iniret,
Durando impuri contra conamina Regis.
Huic ſimilis Catherina fuit celeberrima forma,
Diuitijs, docto ſenſu, ac virtute parata.
Prouocat en confiſa Deo, Ieſuq. colendo
Agmina Doctorum in Diæ certamina legis,
Vt tandem fidei diſcuſſio clara ſequatur.
Sollicitus Dux ecce vocat de finibus orbis
Doctrinis hominum inſtructos, qui iura Deorũ
Apprimè teneant, ac defenſare laborent:
Deieciſſe animi certus de ſede notatam,
Si quà contingat peruerti poſſe puellam.
Concurrunt plures nutu Ductoris in vrbem,
Regis Alexandri quæ dicta eſt nomine Magni:
Congreditur ſecum verbis Catherina modeſtis,
Ac ſingillatim vaniſſima facta Deorum
Expendens, animis conuellere tentat ab imis
Do-

Doctorum errores sensim, atque infundere Iesum
Ex patris iussu nostræ medicamina noxæ,
In sua dum vertit purissima membra labores,
Innocuus patiens pro libertate piorum.
Non cecidit frustra conatus, & irrita verbi
Semina Diuini non effluxere sub auras:
Vnanimes subiere fidem, mox funera secum,
Virgine in illustres obitus hortante fidelem
Doctorum turbam, & Diuina in dona vocatam.
Attamen ecce noui certaminis arma parantur,
Virgineos artus, & sacra præmentia dirè
Corpora, vt in spretos reuocet sua pectora cultus:
Quippe rotæ circùm voluendæ, vt acumina ferri
Dorso promineant, velutiq. nouacula surgant.
Illa sed addicto lateri defixa tenetur
Exceptura ictus, nisi se contingat ab astris
Virtutem ex Iesu certa ratione tueri.
Et iam circum agitur percussa satellitis arte
Machina læthalis corpus læsura pudicum:
Virgo oculis, deuincta manus, sublimia poscit,
Freta Deo, pariterq. animo cælestibus hæret.
Ergo Ales supero demissus ab æthere fluxit,
Præsidium solemne ferens, & mole refracta,
Qua nocet, hostilis discerpit acumina ferri.
Sospes erat virgo, studio cum percitus acri,
Præcipit immeritò de corpore colla recidi.
Impietas furit, exequitur sua iussa satelles:
Puris de bustis emanat lacteus humor.
Ecce ministerio Alituum per inane volantum
Conditur in Sinai delata cacumine montis.
Audierat Faustina vxor, quæ facta fuissent:
Ergo sic fatur dictis aggressa maritum,
Vt reuocet factis sua pectora dira nefandis,

Magna tuis animis Christi turbasse fideles
Cura subest, ac si pariter tua commoda crescant:
At Deus è cælo, cum defensare laboret;
Quos tu persequeris, sicut iam cernis apertè
Commoda vera tibi non expectanda fuerunt,
Dum minimè in reliquis constat peccasse nocentes.
Quod si te pietas vrgere magistra videtur,
At potius metuas, ne te trahat impius error,
De Christo celebrata Deo mage digna putétur,
Ac mage Diuinæ rationi consona mentis,
Quàm sint gesta Deûm turpes imitantia sensus:
Sic ego crediderim, sic non dubitabilis adsit
Mens tibi, vt agnoscas medicamina certa salutis.
Dixerat, extemplo cœcas exarsit in iras
Impius, inde iubet sibi colla perosa recidi.
Tùm Dux militiæ secum Porphyrius audet,
Et pariter miles fidei subiecta fateri.
Ergo Reginæ sortem comitantur ouantes,
Truncati ferro per iussa iniusta frequentes.
Ægypti Prætor Mennas fuit, inclytus inter
Christiadas gladio fœdè laceratus iniquo
Maximij iussu: Hermogenes suffectus eidem
Incolumem cernit factum sub luce sequenti.
Ergo Diuinæ fidei auscultasse laborat,
Iuncto propterea quàm multo milite secum,
Vt pariter cuncti pro Christo funera captent.
De medio tollit Maxentius ense Seuerum.
Gallorum interea auxilijs victoria parta est
Constantine tibi contra Germana locorum.
Ante Mineruinæ ex partu præclarus in armis,
Susceptus tibi Crispus erat, qui postea Faustæ
Oppressus fuit insidijs, ac fraude Nouercæ.
Nam-

Namque ea ſollicitat dum per ſua verba paternos
Fœdauiſſe thoros iuuenem, ſentitq. rebellem
Infandis votis, odio commota furenti;
Inde viro pariter promens mendacia gratis,
Ac falsò memorans fœda ſe voce petitam,
Armat in inſontis caſtiſſima viſcera patrem,
Vt gladio feriat, læthoq. addicat acerbo.
Conſciſſis mortem tibi Maximiane perennem,
Et laqueo vitæ fila infelicia rumpis,
Herculee, inſidijs Natæ per verba retectis,
Quas ſtrueres genero, qui te captaſſe laborat,
Ac ſtudio inſequitur profugi veſtigia magno;
Victoris fuerint vt dicta fidelia Mauri
Pro Chriſto per te caſi, qui protulit anno
Hoc te caſurum, quò te iactaſſe ſuperbè
Deſineres, ſubigiq. Deo terreſtria ſcires.
Contigit hoc anno Licinio ſuperaſſe Valentem.
Pamphilus interea doctrina inſignis, & actu
Integer extiterat, quem Firmilianus acerbè
Vexauit, ſecumq. quater tres enſe peremit,
Atque alios pariter: ſed non vitaſſe furorem
Inſtantem Domini potuit, quippe ipſe ſub ictum
Cum ſocijs quondam ſceleris perijſſe repertus.
Biſſenis Aquilina annis pro nomine Chriſti
Vltima paſſa fuit, pariter Procopius auctus,
Fortunata etiam fortunatiſſima virgo.
Tùm paſtor Marcellus erat, Maxentius illum
Sollicitat dare thura Dijs, quem deinde negantē
Seruitio iniuſtè publicorum damnat equorum.
Deſertor Stephanus fuit, Artemonq. ſupremum
Ad tempus certans, Trophinusq., Tholusq. fidelis
Præcipitatus aquis, & pondere preſſus iniquo

Enatat, ac demum exorat cecidisse Quirinus,
Martyr Irenæus, Felix, Vrsicius, Aucti:
Tu quoque Alexander, cuius celebrabile nomen
Postea virtutes multæ fecere sequutæ.
Tu Dada, Oceane, ac tu Quintiliane, Neonq.,
Iuliane, Ammiane, Eusebi, Longine, Leonti:
Tu Theodore etiam, patiens tu Maxime secum.
At Donatistas tu Cæcilianus iniquos
Expertus contra, desertoresq. rebellem
Te dicunt, vexantq. modis per tempora miris.
Tunc etiam cecidit pro Christo Emigdius ense.
Marcellus Romæ Titulos statuisse refertur,
In quibus abstergi sacra contingeret vnda,
Qui fidei præcepta sequi, aut vestigia curent.
Quondam de stabulis opera, placitoq. fidelis
Ecclesiæ extractus, queis se Maxentius ante
Damnarat, rursus Marcellus in illa repulsus
Nequam consilio eiusdem. Hìc per tædia vitæ
Asperius degens subijt suprema dierum.
Lucina exilio, quia nam donasse reperta est
Ecclesiæ bona cuncta, fuit mulctata perenni:
Id quoniam vetitum edictis constaret iniquis.
Eusebius Romæ pastor suffectus habetur:
Fortunæ templum cùm conflagraret in vrbe,
Et populus cæci sensus extinguere flammis
Accurrens certasse velit, conuicia iactat,
Fortunæ in fictum numen reuocasse fidelis
Certus ab incæpto gentem. furit illa scelestis
Ausibus, atque homini, sibi qui donasse salutem
Quæreret, eripuit læthali vulnere vitam.
Vxor Præfecti expetitur Sophronia Romæ:
Abduxisse parat lictorum turba, marito
Concedente sibi propter scelerata Tyranni
Ge-

Gesta, metumq. viri: hoc ægrè Sophronia passa est.
Ergo ferit gladio, malè quæ cupijsset amoris
Infandi impulsu Maxentius, & sua lætho
Corpora dat mulier, quò sic contingat abesse
Dedecus à membris, quæ sanguine fusa maderent.
Robore persimili præcincta Pelagia pectus
Antiochena fuit, quæ se demisit ab altis
Inuadenda locis: hac se lenonibus arte
Proripiens reprobis, sua qui vestigia seruent,
His animos similes mater gessisse refertur,
Ac natæ pariter, rapidi quæ fluminis vndis
Abripienda aliò sua corpora mersa dederunt,
Vt raperent eadem sceleri temerasse parato.
Ecce Palæstinæ plures incommoda passi
Pro fidei studio, libertatemq. ferentes
Præ sese Christi, quem firmo corde fouerent:
Exercent actus publicè, quos ille iuberet,
Pelius, & Nilus, secum quoque Presbyter Igni,
Atque Patermythius cessi velut esca furenti,
Extremum subiere diem. Monumenta Ioannes
Diuini textus recitat, quasi lecta fuissent;
Totam vrbem in Phrygia flammæ absumpsere voraces,
Quod Christũ firmè colerẽt. Hos inter Adaucus
Vincere perdidicit Christi pro nomine certans.
In mare proijciunt præstanti corpore binas,
Moribus & similes, viridiq. ætate sorores,
Exosi legem sacram, Dominumq. colendum.
Prostituunt aliam, miles quam veste periclo
Mutata eripuit: mox decertantibus ijsdem,
Quis prior occumbat, dantur sua corpora lætho.
Non his absimiles Didimus, Theodoraq. sunto.

Rursus Alexander fuit, Antoninaq. virgo
Persimilis, similesq. alij cecidere Corinthi.
Ecce lupanari dum virgo Euphrasia clausa est,
Ac iuuenis secum petulans nociturus eidem,
Illa veneficium simulat, colloq. perunсto
Incitat incautum mersisse in viscera ferrum:
Experiare, inquit, confessi arcana liquoris,
Nemo post vsum poterit per vulnera lædi,
Ista pudicitiæ intactæ tibi præmia sunto:
Ipsa ego, quam ferias, adsum subitura periclum.
Ergo dedit iugulum, conseruatiq. reportat
Præmia per voces, simulataq. verba pudoris.
Antiochenæ vrbis quasi lumina clara coruscant
Iulianus, Basilla, Antonius vltima passi:
Passus Anastasius, quos Martionilla sequuta est,
Cum Celso puero, ac septem per funera fratres,
Compluresq. alij; atque alibi Euphratesia, Bacchus,
Et Basilissa, nouē quæ nondū impleuerat annos,
Pro Christo permulta ferens: cui Sergius auctus.
Meletium sequitur per talia tempora nequam
Arrius, vt meritò fuerit de sorte recisus
Sanctorum ex duplici caussa: neque Petrus eundem
Postea mutata reiectum mente recepit.
Hic Petrus ille fuit, noua quem per somnia Christus
Exemplo scissæ vestis, docuisse refertur
Iacturam Ecclesiæ per dogmata falsa sequutam
Arrij infelicis: verum deceptus Achillas
Martyrio Petro functo, simulata rebeliis
Pectora dum credit sensus variasse malorum,
Fraternam in sortem voluit concurrere rursus.
Tu magne Antoni quondam sectatus in vrbes
Chri-

Christiadas morti per plurima vulnera dandos,
Prætorem irritas dictis, quò forte per ensem,
Siue secus liceat factis insistere fratrum.
Ancilla insignis se Potamenia nobis
Offert, magnanimè quæ turpia stupra recusat.
Ergo Tyrannorum iussu damnatur aheno
Feruenti mersisse artus, quò decidat. Illa
Vt credant sibi delicias ea damna putari,
Per spatia edicit velle interrupta feralem
Sæuitiam ardentis sese perferre liquoris:
Sic decies replicata fuit sibi pœna dolorum
Materies, totiesq. occasio maxima laudis.
Lector Apollonius detentus carcere donat
Auro Philemonem variata veste Choraulum,
Vt vice mutata Dijs thura incenderet idem
Ethnicus existens, seseq. euadere sortem
Contingat cædis miseræ terroribus actum.
Ergo nouum induitur pectus, mentemq. Choraulus,
Dum vestes mutat, mortemq. subire propinquam
Appetit, vt tandem veræ sibi præmia vitæ
Lucratus fuerit per dura pericula rerum.
Motus Apollonius facto dimissa reposcit
Tecta Tyrannorum, Christumq. fatetur, vt ignes
Excitet irarum contra sua membra malarum.
Ergo Philemonem sequitur certamine cæsus,
Sydereasq. domos spretis terrestribus intrat.
Tu quasi stella micas noctis Lucianus in vmbris
Proditus hæreticis, lapsosq. in tuta reducis
Castra Dei, ac Iesu fletu reparante virorum
Perniciē, & maculas noxæ abstergente nefandæ.
Bis redit ad vomitum Asterius, Doctore relicto,
Martyrij bini pueri retulere coronas,
Hoc quianam steterat stabili sententia menti

Nō vesci immūdis, neque Dijs adolere nefandis.
Hermocrates, fraterq. Hermippus funera passi,
Hermolaus, Pastor, Parthenius, atque Hadrianus,
Zoticus, & socij, Victorinusq., Anicetusq.,
Et frater Photinus, Agathonicusq. fidelis,
Iulia, Philotherus, Cyriaca, aliæq. piarum:
Sostenius pariter, Solechan, Euphemia, Victor,
Atque alij secum, Cyrillaq., Diomedesq.,
Asclepiodotus, Centurio, Mutius vnà,
Maximus, & Theodorus, & Eleutherius aucti,
Cleonus, Eutropius, Fausta, Euilasius isto
Tempore, Basilius, Sisinnius, atque Agapetus,
Magnorum qui quondam operum patrator habetur.
Vos quoque virgineus cœtus, iunctæq. sorores
Nymphoq. ac Metro, ac Meno ob cęlestia Doræ.
Præses Irenarchus iustos dum vexat iniquè,
Miratus robur subigit sua colla securi.
Pro studio legum, quas oppugnasse studeret:
Fœmineus pariter globus, atque Acacius vna:
Hos poterat cruciasse prius per plurima Præses.
Martyr Athenogenes, Eusthatius, Eugeniusq.,
Cyriacus, Oruntus, Pharnax, Mordacus, Orestes.
Vos quoque Longine, & Firme, ac Firmine sequuti,
Ac secum Auxenti, atque Hiero, Nicander, & Heros.
Cum socijs, Zeno, Eudoxus, Macharius aucti,
Donatus, Victor, Polienetus, Hesichiusq.,
Innumeriq. alij sexus vtriusque fideles:
Quos omnes magni fuerit memorasse laboris.
Lux noua Cæsarium reuocat de sorte malorum,
Et Christi testem statuit per funera clarum,
Transfossumq. pedes, flāmisq. voracibus haustū.
Re-


Repsina cum multis pro virginitate tuenda,
Ac fidei studio sæuo cecidere sub ictu.
Gregorium vexat Tiridates: vexat, & amens
Propterea efficitur: sed menti redditur ipso
Gregorio exorante Deum. Palmira necatur.
Extitit illustris virgo Febronia Martyr
Infandos casus, durosq. experta labores.
Ergo Lysimachum, qui se cruciasset abundè,
Impulit exemplo fidei defendere caussam.
Virgo fuit, Iustinam omnes dixere, pudicis
Moribus, & vita: quidam Cyprianus eandem
Expetijt fœdè Magus. Ergo præcipit ad se
Acciri stygijs impulsibus: illa resistit,
Et vincit tandem. Cyprianum cognita virtus
Impulit, vt sacro ablueret baptismate sordes.
Hic idem edocuit fidei per verba notatæ
Inseruire Deo multos: tùm sanguine fuso
Ardentem in Iesu secum est testatus amorem.
Eusebius vita functo, ac vitalibus auris,
Melchiadem fratres sibi præfecere sequutum.
Gallerius perijt morbo percussus acerbo.
Maximius, Licinusq. pios turbasse parati
Per fictos casus, atque acta Pilatia ficta,
Immerita in Christum Iesum conuicia iactant:
Hæc pueris curant late ediscenda per vrbes,
Serpat vt impietas teneris concepta sub annis.
Romanas quidam Timotheus accessit in oras:
Inde fidem sacram publicè docuisse repertus
Prætori defertur, & effera plurima passus,
Tandem obtruncatur, cælumq; beatius intrat.
Ecce acri bello dira cum peste sequuto,
Atque fame exorta terris, repressa Tyranni
Maximij grauis ira fuit, ne castra piorum
Iniustè opprimeret, sicut consueuerat ante.

Regnator fuit ille poli sceleratus Eoi.
Occiduas Romæ tenuit Maxentius arces:
Hic mentem in Magicas artes, infandaq. torquet
Gesta, agitans animo semper turpissima rerum.
Iamq. lacessierat dictis, factisq. superbis
Constantinum ipsum, cui Gallica Regna fauebant,
Respueratq. virum, ne fortè putetur habere
In Regno partem, suus aut collega vocetur.
Ergo sibi metuens Dux Constantinus, apertè
Insurgit contra latè commotus in arma:
Dumq. ea molitur, cæli sibi numen adoptat,
Abijciens animo, sicut pater ante malorum
Immeritos cultus, & numina ficta Deorum.
Luce ergo media Solis splendore micantem
Aera conspexit referentem signa salutis,
Atque notis Græcè scriptis hæc verba sonantẽ:
Εν τούτῳ νίκα; supera, quasi dicat, in ipso.
Nam virtute huius victoria certa paratur,
Quin ☧ duplex expressit litera Christum.
Huius ad aspectum latè obstupuere cohortes
Cæsareæ, cupidæ sensus dignoscere rerum.
Princeps hæc eadem dubio dum corde volutat,
Obruitur somno: tùm visa docentis imago
Ipsius Christi, sensusq., & signa ferentis.
Ergo crucis forma sic postea contigit vti
Hunc pro vexillo, quod se tueretur in armis
Inuadentem hostes, ac prælia dura mouentem,
Ex voto res ista viro cecidisse refertur,
Quippe acies bello fusæ, cæsæq. frequentes:
Dumq. sibi ad pontẽ Miluiũ Maxentius obstat,
Obruitur demersus aquis, suaq. agmina secum,
Plura licet numero, maioraq. viribus essent:
Hoc


Hoc,quianam Superis fuerint perterrita visis.
Ergo triumphantem te Constantine Quiritum
Victorem excepit populus, lateq. Tyrannis
Roma repercussis patriæ vocat alma parentem.
Iam nouus in fatis cursus, reuolutaq. rerum
Forma superfuerat populo gustanda fideli:
Quippe subinductus, quò sceptra capesseret orbis,
Qui foueat iustos, & castra hostilia perdat.
Ergo animi latè recreati, & pectora latè
Christiadum luctus tandem posuere molestos:
Ac veluti duris si tempestatibus acti
Littora peruadunt nautæ, terræq. propinquant,
Oscula tùm patriæ per gaudia mixta timori
Dulcia defigunt animis mœrore solutis:
Tales iustorum cœtus crudelia passi,
Regna Tyrannorum, longèq. asperrima dudum
Seu iuga, seu rabiem per funera plurima gentis,
Exacti casus memores, trepidiq pericli
Communi sensu læti gestire frequentant.
Tunc ergo media signum Crucis Vrbe locatur
Ex caussa cultus,publicæ vt tutela quietis.
Tunc pro Christiadis edicta fidelia manant:
Mulctati prius exilio reuocantur in vrbes,
Ac sibi redduntur, quæ sunt ablata bonorum:
Tunc libertatem incipiunt fundare sacrorum;
At spretos Gentes ritus videre prophanos.
Connubio Licino Constantia iuncta marito est,
Magni digna soror: Licinus profligat in armis
Maximium iniustè contra fera bella mouentem,
Inde truci morbo,ac fœdo correptus iniquus
Maximius Dominum agnoscit,crimenq. fatetur,
Non tamen vt misero soluantur vincla reatus.
Mox Constantinus Licinum debellat eundem,

Sa-

Sæpius immeritò renouantem prælia secum,
Tandemq interimit: sic totus obedijt orbis
Constantino vni, reliquis ex orbe tyrannis
Excisis toto latè, penitusq. repulsis.
Infandis Ducibus cum sectatoribus horum.
Donatistarum reprobatur opinio Romæ,
Bissenis Patribus tali ex ratione coactis.
Mox sua reprimitur vesana licentia scriptis
Implorantum alias summi fastigia Regni.
Cæcilianum etiam absoluunt collata piorum
Dicta Patrum, insontem discusso errore repertũ.
Melchiade extincto munus Syluester habendum
Pastorale capit, latebris qui tractus in vrbem,
Perfusum lepra Regem curasse refertur:
In somnis monitum, nè per non debita tentet,
Scilicet infantum excidio purgasse reatus,
At sacro ablueret fœdas Baptismate sordes.
Ergo Syluestrum reuocans, dum contigit vnda
Abstergi Dia, de corpore lepra recedit,
Culparum amoti certissima signa reatus.
Agnoscens ergo non contemnenda bonorum
Munera, perpetuò Romana cedit ab Vrbe,
Summum Pontificem iam munificentius auctum,
Axe sub occiduo statuens per sæcula Regem.



E C-



ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER QVINTVS.





VRbs erat Europæ, Thraces coluere ſub Arctos,
Ponti iacta ſinus, Aſiæ quo ſcindimur oris,
Romana longo Bizantia dicta receſſu.
Hanc Conſtantinus cum ſeceſſiſſet in vrbem,
Amplificare ſtudet, ſecum traxiſſe paratus
Imperij ſedem, ſtatuens lecta agmina gentis.
Ecce autem impulſu ſtygij ductoris, & aſtu
Arriani hæretici incipiunt vexare fidelem
Chriſtiadum populum, ac veluti diſcerpere Numen,
Ieſu Diuinos ortus per ſcripta negantes.
Tùm verò concuſſi animi nouitate tumultus,
Et viru infuſo per viſcera nota recenti,
Ingemuere pari ſtudio, ac terroribus acti
Perfidiæ tantæ, primum extirpare laborant
Semen iniquorum, ac certæ impietatis alumnũ.
Ergo Paſtorum, qui florentiſſimus eſſet,
Cœtus, ab extremis agitat concurrere Regnis,

Su-

Suprà tercentum Patres pietate colendi,
Principis accitu, Rege impellente sacrorum
Syluestro, Eoæ Bithinica in oppida terræ
Nicæam fidei celebres dignoscere caussas.
Hos inter magnus quē Corduba protulit, Osius,
Ac secum Victor, secum Vincentius adsunt
Roma Legati, Eutychius, Theodorus, Iacob,
Qui potuit vita functos reuocare sub auras:
Paulus, Alexander ducens Potamona secum,
Paphnutium & gestis clarum, ac virtute notandum.
Tu quoque Machari, Eustathi, Longine, Leonti,
Spiridion oculo effosus, cæsusq. sinistro
Poplite Maximij iussu, tandemq. metallis
Damnatus quondam, ac certa pietate decorus,
Ciscon, & Eupsichi, Amphion, & martyr Hypasti,
Alter Alexander, tuq, ò Nicolae sequutus,
Protogenes, Harpocration, insignis Arostan,
Cæciliane etiam Carthagine pastor in vrbe,
Quem Donatistæ gradibus depellere certant.
Illic Arriani impietas recitata libelli
Obstruxit pastorum aures, indignaq. prorsus
Visa est, quam strueret Christi quondam assecla chartis.
Illic Eusebij, quam misit epistola pro se,
Communi reiecta fuit, rescissaq. sensu:
Illic, & solio cum Constantinus in aureo
Sedisset coram, condicitur omnibus, vt se,
Ac sua defendant, qui contra obsistere curent,
Iesu Diuinos ortus per verba negantes.
Discutiunt doctrinam omnem, textusq. frequentes,
Præsentē ad caussam quos Dia volumina pādūt.
Con-

Conueniunt tandem æternos agnoſcere partus,
Et ſalua non poſſe fide generata repelli
Nomina, naturamq. Dei, neque propria rerum
A Ieſu, ac Ieſu perſonam à tempore natam,
Vt tamen humanos poſt ſæcula ſumpſerit artus,
Naturamq. hominis, quò ſic purgaret iniquos
Sordibus, ætherei iuxta decreta parentis.
Quin etiam quoniam non contemnenda per orbem
Sciſſura in populis pro paſchate, ſurgit in annos:
Multis Iudaicum aſtruere, aut retinere paratis,
Tempora firmantur, queis vita reſumpta fuiſſe
Dicitur à Domino pleno Lunæ orbe repulſò
Paſchatis antiqui, quod ſemen Iacob inibat
Ex Moyſis quondam per myſtica ſæcula formis.
Hinc reiecta etiam Cataphrigum inſania rurſus,
Et Paulianiſtæ, Samoſateniq. rebelles
Præciſi rurſus, ſectatoresq. Nouati,
Multaq. præclarè contra inſurgentia rerum
Semina pro iuſtis pariter ſtabilita malarum,
Vt firma extarent quaſi propugnacula Gentis.
His ita compoſitis cultum extirpare Deorum
Inſiſtit Conſtantinus, delubraq. primum
Deſtruit, erectis Chriſto, Sanctisq. dicandis.
Hæc inter Superùm monitis educta volantum
Principis eiuſdem mater digniſſima Magno
Principe terrarum, pariterq. pijſſima votis,
Dixerunt Helenam primæua ætate parentes;
Sacratamq. Crucem, lignumq. ſalubre repoſcit
De Solyma terra extractum, clariſq. probatum
Virtutum oſtentis: quo ſic inducta niteret
Maieſtas populi ſacra per vexilla piorum.
Ergo comperto, confirmatoq. verendo
Stipite, quo noſtros Chriſtum purgaſſe reatus,

Ac

Ac generi humanō medicinam afferre salutis
Contigit, Ecclesia, pariterq. fidelibus auctis,
Promeritum in Iesum pietas renouata per vrbes.
Mox etiam assuetos ligni decerpere partem
Istius, latè mira excrescentia fallit:
Sic quasi vitalem per succum adoleuerit arbos.
Vulgari hæc Helena obsequio cœnam inter honorat
More ministrantum Christo ancillata parenti,
Virgineos cœtus sacra sub sede dicatos,
Munera seruitij non dedignata modesti.
Hæc eadem vt Romam rediјt, moritura salutis
Verba suo fecit genito, quo certus in astra
Firmatis animis, indefessoq. labore
Dirigeret vitæ cursus meliora sequutus.
Ergo super stratis artus proiecta decorè
Immortalem animum cæli conuexa petentem
Exhalat, pariterq. Deo, superisq. beatis
Iungitur, æternum vt fierent ea præmia recti:
Cōdita honorificis Helenæ sunt ossa sepulchris.
Prætorem Ablauium malè sordida lucra sequentem,
Damnantemq. neci diræ tres inde tribunos,
Tu Nicolae pater per dura somnia terres,
Susceptis retrahens vanissima pectora curis.
Damnat auaritiæ dux Constantinus eundem,
Ac Cicli breuiore nota monet vltima rerum,
Vt caueat factis pectus mersisse caducis.
Vir præstans animi virtute Athanasius ante
Suffectus fuerat Diuino munere pastor
Vrbis, Alexandri quæ dicta est nomine Magni:
Hic interfuerat Nicænis actibus, vt se
Arrianos posset contra munire procaces.
Ergo solliciti gradibus detrudere certant

In-

Insontem, multoq. accusant crimine coram
Principe terrarum: quò, si contingat in ima
Depelli, insultent ouibus per falsa vorandis.
Captiuus fertur Frumentius actus in Indos,
Hic vbi pro caussa fidei opportuna sequutus
Rerum, permultos dona in cælestia traxit.
Barbara turba bonis animi ditata receptis,
Seruitiō releuat, sibi quem donasse videret
Sydereos aditus, libertatemq. perennem.
Ergo idem nostro post tempora redditus orbi,
Eligitur pastor Gentis mittendus in vrbes;
Ac remeat rursus, rursusq. laborat vt omnes
Ad Christum reuocet, tenebris & corde fugatis
Lumina Diuinæ fidei clarissima pandat.
Fœmina, quæ Christi baptisma professa fuisset
Captiua è patrijs alias defertur in oras:
Hæc fusis Domino precibus sanauit Ibero
Rege satum puerum quondam male membra valentem:
Propterea vt populi cum Rege fidelia captent
Verba Dei, sacramq. fidem, & baptisma colendum,
Dignis permoti gestis; pariterq. ministris
Accitis, Euangelij qui dicta docerent.
Sic alij pariter, sic & Iudæus Ioseph
Excipiens animis noua per miracula rerum,
Tempus ad extremum fidei pia semina fouit.
Tu Magne Antoni per talia tempora flores
Principibus populi, ac doctis spectande virorũ;
Insignis meritis, veræ pietatis amator.
Ecce Euangelicis verbis commotus abundè,
In terris aberas longè, lateq. remotis:
Hùc te subsequitur non pauca frequentia fratrum,

In-

Ingenio in tenui vestigia nacta magistri ,
In rudibus membris superum admirata nitorem,
Permota exemplis vitæ melioris , & actu .
Tu Christi ex norma formæ celebrabilis author,
Perfecti expressor per gesta tenacia sensus :
Tu pater egregius patrum, doctorq. docentum:
Ex te fluxerunt quasi semina iacta per orbem
Sanctorum innumeri per sæcula plura virorum .
Contra te stygius vires expertus iniquas
Ductor, vt illudat noua per phantasmata mentis ,
Ac pariter plectat per verbera dura rebellem ,
Non potuit mouisse locis, victusq. recessit
Sæpius, in rectis vt longè firmius olim
Contigerit stabiliri animum, lateq. sub astris
Effundi gratum puri spiramen odoris .
Ergo mens tandem sublata ad sydera cedit ,
Corpore ditatis magno quasi pignore terris .
Audita fama laudum per plura suarum
Dux Constantinus, natiq. frequenter eundem
Scriptis literulis pro se responsa rogabant ,
Literulas contra vix exorantibus ijsdem .
His præcepta dedit, Regni non fidere rebus ,
Ac leges seruasse Dei, cultusq. tueri
Sanctos, ac nomen Christi celebrare verendum .
Ergo alacres in iussa volant quasi vota parentis
Explentes, magnumq. putant, & dona fauoris
Auscultasse viro terrestria contemnenti .
Illuxere Orbi plures, quorum ipse magister,
Vel collega fuit, vel saltem exemplar honesti.
Ægypti, Lybiæq. sinus, & totus Eoi
Cardo poli videre suos petere antra colonos
Debellaturos pia per certamina Ditem .
Currite nunc hilares in dona superna frequentes,
Nullaq. sit regio vestri conaminis expers :
Tem-

Tempus erit, quo Diuinos oblita fauores
Hæc loca præcipiti cursu malè gesta sequantur.
Hillarion victu ieiunia parca frequentat,
Expulsor stygiæ, debellatorq. cateruæ,
Si qua sibi vexata pij modò membra tulerunt,
Vt fuerint animi signa hæc, aut præmia recti.
Macharij pariter bini virtute colendi,
Vitam exercentes omni cum laude ferendam
Astra super, similem cælestibus, inclytus Ammon:
Et qui viuendi Pachomius Alite formam
Posteà suscepit, quò sic parere doceret
Sectatorum animos, facilesq. in iussa venirent
Collecti secum socij pia vota sequuti,
Dum quasi priuato obsequio, aut potiore subacti
Optima Diuini Imperij dictamina seruant.
Alter spectatæ laudis tunc extitit Ammon:
Ipse suam induxit castum seruare pudorem
Sponsam alias, vitam pariter transegit honestā,
Desertas habitans sedes: tandemq. recedens
Spiritus, æthereos visus conscendere tractus.
Fortè idem quondam, cum commoda puppis abesset,
Transiturus erat flumen. Diuinitus ergo
Vlteriora petit, quòd se nudasse puderet,
Existente Deo, qui nos dijudicat æquè,
Clara pudicitiæ per rerum exempla ministro.
His quoque temporibus cælestia dona sequutus
Malchus erat, sub seruitio quoque castus acerbo,
Fœmina iuncta viro cum nullibi stupra tulisset.
Instar Apollonus Vatum, pariterq. Ioannes,
Mutius à reprobis, qui cælitus actibus actus:
Compres, qui fidei certamina vicit in igne:
Anub ab Alitibus clarè subuectus in astra,
Corporis exuuias cum deposuisset, & artus,

Quòd

Quòd Superos viuens habitasset mente recessus,
Expertusq. feras Helenus sua iussa sequutas.
Pithirion, Eliasq. habiles dissoluere morbos,
Eulogiusq. arcana animi sibi nota recensens.
Eulogio Euagrius similis, cui cognita cordis
Intima, cum Cromo, fratres Eusebius, Ammon,
Euthimiusq., Apeles fabrilibus ocia vitans:
Qui Dydimus nudis imbuta animalia viru
Compressit plantis non vlla incommoda passus:
Philemon, & Apollonus queis flamma pepercit,
Serapion, Isidorus, Paphnutius auctus,
Qui meritis quosdam similes sibi nouit habēdos.
Nullus erit finis, si percensere velimus
Pastorum cœtus, monachorum & clara virorum,
Exempla, excelsis quos gratia sustulit astris.
Paulus, qui simplex dictus, parere magistro
Doctus, propterea vt terror subeuntibus esset
Corpora spiritibus pressos vexare paratis.
Or verbis retegens fallentem fraude modestis,
Per vestes, ac bruta trahens ad mitia Benon,
Qui Theonas precibus vinxit quasi compede fures,
Qui Moyses potuit maculas purgasse priores
Vitæ duritie, perfectosq. addere sensus:
Dorotheusq. fugans imitatum dæmona formā
Serpentis per signa Crucis, Didymusq. perosus
Julianum, agnoscens læthum distantibus oris.
Virgo sepulchrales viuens amplexa receptus,
Ne iuueni cedat contra sua membra procaci:
Contemptorq. auri Pambus, prædura modestè
Beniamin passus, plures cum labe leuasset.
Eulogius famulans infesto corpora lepra,
Donec vitales dimisit spiritus auras.

Non

Non ego Dorotheum, atque Eliam per verba silebo,
Casta monasterio obsequia impertire studentes:
Nec quæ Pitterio sapiens detecta virago est,
Stultitiam sanctè simulans, neque vestra tacebo
Nomina Serapion, iuga qui subijsse repertus
Seruitij, vt Domini iuga sub mitissima Christi
Protraheres quoscumque tibi sors læta dedisset.
Te referam Eradium, Posidonum, vnaq. Prioré,
Innocuum, Adolium, Iulianum, Ptiloromumq.,
Quem duris aliàs Iulianus apostata virgis
Pro fidei sacræ contemptum fortè cecidit.
Non te Milianam sanctis seruire paratam,
Atque aurum, Roma sua commoda in ampla ferentem.
Dixeroq. Elsidium, cuius quondam arida vitis
Aucta ministerio succos traxisse recentes,
Et vitam rursus potuit: contra arida facta est
Dextera, cui semet fuerat serijsse voluntas.
Paulus erat vinclis mortalibus ante solutus,
Coruorum plures, cui cura ministra per annos
Occultis escas iam suppeditarat in antris.
Candida dicenda est, Saluina, Gelasia, Olympa,
Et iunior cursus renouans Miliana prioris.
Tu Diodes, & Amata, Chuor, precibusq. Piamon,
Victrix, & virgo præstans, famæq. perennis,
In cuius latuit constans Athanasius æde.
Virginei cœtus longè, lateq. per vrbes
Diffusi pariter moris vexilla pudici
Erexisse student contra turpissima rerum,
Æthereo nunquam qui defecere sub axe;
In sexu fragili sensus, viresq. viriles
Transgressæ, vt vita similes cælestibus essent.

San-

Sanguine Christiadum cùm terra madescere quondam
Desisset, gladius funestus, atroxq. satelles
Cessasset, non incassum pax aucta per vrbes:
Sic quasi torpuerint animi peiora sequuti,
Ad rectum stupidi, ad cursum pietatis inertes:
Quippe per agrestes ieiunia longa recessus
Instituunt inopes facti, rerum omnium egentes,
Solliciti virtutis onus subijsse per actus
Vitæ perpetuos, ac repressisse rebelles
Corporis aduersi impulsus, sensusq. superbos
Obstantes reprobis, ac per sua facta negantes
Peruersos mores hominum, sordesq. malorum:
Lumina Diuinæ fidei nitidissima terris.
Floruit immensum cunctis Athanasius oris,
Effundens latè veræ pietatis odorem,
Hæreticis quondam expunctus: tamen irrita tandem
Impia conatus audacia cessit in auras:
Quippe per oppositos mũdano Principe coram;
Et fictos casus vexare frequentius ausi,
Vt caderet gradibus per dedecus actus ab altis.
Princeps Eusebius Nicomediensis habetur,
Vesanis certans odijs, secumq. Theognis.
Sed verò miseros fallacia cognita mentis,
Ignesq. irarum iniusti, cæciq. furores,
Præcipitesq. minæ prudenti sæpe refractæ
Consilio, ac nutu Diuini Numinis acri
Pertrahere in peius semper potuere subactos,
Vt non destiterint, donec Deus arbiter orbis
Sæuijt insurgens contra impietatis alumnos,
Pertæsus turpesq. animos, sensusq. scelestos.
Ergo & in exilium extrusus dudum ipse latebris
Occuluit sese letho tradendus ab hoste
Sæ-

Sæpius, ac variè: tandem reuocatur in vrbes,
Confirmat verbis ciues, monachosq. remotis
In ſpecubus ſcriptis, nullis ſociatur iniquis,
Atque orthodoxis conſtanti iungitur auſu,
Vt recreet iuſtos, inimicaq. pectora ſternat:
Laudatus multis, ſemper laudabilis idem.
Cùm quondam ex cura vicos luſtraret, & vrbes,
Eiecit minitans ſub ouina pelle latentem
Fortè lupum, hæreticis qui poſtea ſordibus hæ-
ſit.
Gallicus inſidijs arctatus Ouinius hoſtis
Dicitur, vt vitæ magnum diſcrimen adiret.
Huic Conſtantini cum fortè ſororius eſſet,
Chriſtiadas binos Conſtantia ſponſa miniſtros
Tradidit: hortantur fidei baptiſma vouere:
Si ſoſpes fiat, vouit, mox perdidit hoſtem.
Ergo redux etiam rerum aſpernatur habenas,
Vt Conſul nolit perſiſtere in vrbe creatus:
Sanctè conceſſit ſub Tyberis oſtia noti,
Hoſpitibus famulans, & læto corde receptis
Roma peregrinos ſibi quos deferret in ædes.
Moribus oppoſitus Dux Conſtantinos iniquis,
Prudenter leges, Decretaq. plurima ſanxit,
Vt ſacræ fidei fundamina firma manerent.
Nobilitate micans quondam Romana virago,
Filia Syluestri fit per Baptiſma renaſcens,
Et virgo perſtans, duro ſe condit in antro,
Ancillata Deo ſua per ieiunia Patri;
Perq. preces, donec per geſta illuſtria vita
Fungitur, vt puri ſpiramina fundat odoris.
Romæ ſufficitur Paſtor, qui nomine Marcus,
Syluestro à noſtris cedente ad ſydera terris:
Iulius at Marco octauo ſub menſe cadenti.
Lampſaci erat vicus, ciues damnarat idolis


Cœca superstitio multos firmata per annos:
Presbyterum hùc Abraham quidam Parthenius Helles
In Ponto pastor submiserat: ille latenter
Deiecit simulachra locis. turba ergo repertus
Primo, mox renouans replicato vapulat ictu
Sæpius, vt tandem patientia vicerit hostes,
Concurrente Deo iustorum in vota virorum.
Quanta viris per nos debetur gratia primis,
Sanctæ tecta domus, per quos fundata steterunt:
Et quàm sollicitè populis seruanda sequutis
Regula sumpta foret tanto transmissa labore.
Vrbe noua dicta sacras extruxerat ædes
Dux Constantinus, mediaq. locarat in ipsa
Base super, claraq. super simulachra columna,
Aurea cum pomis gestantia signa salutis.
Non tamen effugit postremo temporis actu.
Eusebianææ deceptus fraude cateruæ,
Seu crimen princeps, seu famam criminis omnē.
Lucifer incusat, maiestatemq. reatus
Constantinæam scripto damnauit aperto.
Pulsus in exilium certè est Athanasius illo
Pastorum fidei clarissimus orthodoxæ:
Quod controuersum fidei sit dogma professus.
Dum Constantini iussis Athanasius actus
Ex Arrianorum instinctu patria exulat vrbe,
Contigit acciri cum sectatoribus Arrium:
Fictis hic animis concepit dogma salutis,
Seq orthodoxum simulat, sanæq fauentem
Doctrinæ, vt possit nihil ante errasse videri:
Quippe sub æquiuoco delusit pectora sensu.
Iussus in Vrbe noua recipi fuit Arrius idem:
Cum plausu accurrunt socij, gratantur ouantes.
Pastor Alexander caussa commotus acerba,
Per

Per vota expoſcit, necnon ieiunia numen,
Obteſtans det ſigna animi, fictosq. repellat.
Magnificè in Templum multo fautore locorum
Excipiendus erat fidei fundator iniquæ
Arrius indignum, latè plorante Senatu
Orthodoxorum ſed Numinis irrita mens eſt
Reddere peruerſi conamina cordis, & actus.
Ergo prius cupiens ventrem exonerasse recedit
Impius interea: miſerum, ac mirabile dictu
In pœnam ſceleris diffuſa eſt viſcera paſſus,
Extaq. terribili nequam impellente reatu,
Vt Iudæ facto ſimilis, ſic funere vitæ.
I nunc, & verbis irrita Numen iniquis.
Diffugiunt ſocij ſua per veſtigia retrò,
Attoniti ſtupuere alij, Superosq. celebrant,
Ieſu Diuinos ortus per verba fatentes.
Iudicium Domini agnoſcens dux ipſe timendũ,
Perculſusq. pari ſtudio remeare coactum
Aufugiſſe velit, quò ſit communio ſecum:
Plenius hæreticos ſenſus exhorret, & actus,
Circuitus vocum deteſtaturq. nefandos:
Agnoſcit meritos Arrium ſoluiſſe reatus,
Immerito verbis qui blaſphemaſſet Ieſu.
Ergo agitat profugos reuocaſſe ſub oppida pul-
ſos:
Sed verò vitæ curſus, ne compleat actus
Impedit abſciſſus, truncataq. fila dierum.
Quid malè promereris miſerandus homuncio
geſtis?
Vel, ſi quid mutaſſe velis, quid tempora fallis?
Iudicium ſubit ergo Dei, quod cuiq. pauendum,
Lancibus actorum pondus non librat iniquis.
Quod ſi per Chriſtum, Chriſtiq. in ſanguine fuſo
Sunt abſtergendæ ſordes, qui proderit idem?

Si tibi contingat contraria ponere Christo ?
Hoc erat in caussis Athanasius ante minatus ;
Indignè quoniam sese obiecisset iniquis
Aspernandum alias, quãquam Potamon abundè
Iudicis Eusebij per verba ferocia casum
Insimulans, recto fidei de tramite lapsi
Iudicium aut soluit, vel soluere credit acerbum.
O Ægyptiaci princeps Athanasius orbis ,
Iustorum Ecclesiæ columen, pietatis alumne ;
Pastor amans veri, doctrinarumq. magister
Rectarum salue : te non potuere cateruæ
Peruersorum hominũ in sensus traducere falsos,
Nec statu mouisse animum ,mentemq. modestã.
Salue iterum,ac decies: te contendente per actus
Ora superborum sunt obturata virorum .
Tu scopulus reprobis fueris, tu scuta beandis;
Robore tu Supero, tu Numine plenus habẽdus :
Gestator terris tu luminis orthodoxi ,
Ne forte extingui cæcis contingat in vmbris,
Dum tres Natura positos tutaris in vna .
Nemo tuas plenè possit conscribere laudes :
Nemo tuos animi plenè expressisse colores .
In te commotus quamuis Constantius ausu
Postea crudeli peruertere cæperit orbem ,
Insectans latè, qui non concurrere secum
Contra te cupiant, vel se subscribere nolint :
Incolumis tandem, vitaq. superstite victor
Tu semper fueris : Romaq. recedis ab vrbe
Nicænæ fidei decreta professus apertè .
Sic verò hostiles infringi contigit ausus ;
Is patrias iussu fratris Constantis in vrbes
Vt te misisset, secum diuiserat orbem ,
Atque alio cum fratre peius , qui nomine dictus
Constantinus erat ; tamen hoc vitalibus auris
Fun-

Functo, omnem mouit lapidem, quò dedecus ingens
Verteret in meritum benè pro pietate magiſtrũ.
Ecce repugnantem, quem Corduba protulit Oſium
In vota iniecto protraxit compede membris,
Ac ſenſus vicit per verbera dura ſeniles,
Vt iuſtum aſſenſu exilij damnaret iniqui.
Liberium abductum externas poſt tempora in arces,
Ac longo feſſum exilio commouit, vt eſſet
Conſilij reus eiuſdem. Tu dicere poſſis
Interea verè; Nicæni dogmatis vnus
Vindex Eois Athanaſius extitit oris:
Verius Herculeis vt mundi pondera dorſis,
Aut Atlantiacis tulerit ceruicibus aſtra.






ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER SEXTVS.





Vlius à Marco Romæ ſuſcepit habenas,
Et ſacro imponit capiti diadema decorum:
Euſebius iuſtos ſubuertere nititur hoſtis
Euſtathium, Eulogiumq. fugans è ſedibus actos:
Euſebius perijt, cui non Nicæna placerent.
Cæſareæ quondam qui dictus Epiſcopus eſſet,
Impius Euſebio ſucceſſit Acacius hoſti:
Tùm Conſtantinus iunior malè pugnat ad Alſam,
Et cadit, heu, lætho citiùs correptus acerbo.
Euſebius pariter Nicomedienſis iniquus,
Quiq. Arrianorum fautor certiſſimus eſſet,
Occidit, heu lentè, fatis vrgentibus æquis.
Orthodoxorum vos Luci, ac Paule virorum
Sedibus amoti, dubiè Marcelle fidelis,
Eutropi, Euphraſi, Diodore, atque Aſclepe, Domne,
Cimathij bini, Cyre, Hellanice repulſi:

Lu-

Lucius exilium passus decedit ibidem .
Hæreticos promit sensus Photinus, & actus,
Humana in Christo ponens, diuina repellit.
Concilium indicit Sardois Iulius oris ,
Hic vbi caussa iterum fidei discussa peracta est:
Hæretici fracti gressus retulere fugaces .
Ecce Valens tandem, secumq. Vrsacius vnà
Aduentu Romam celeres accurrere versant:
Accedunt, turpesq. actus, noxasq. perosi ,
Scilicet immeritò sese obtrectasse bonorum
Laudibus edicunt, atque offudisse tenebras
Luminibus stultè falsissima plurima rerum .
Ore retexentes iustorum in damna virorum:
Odisse immensum sua præ se gesta ferentes ,
Excepti sanis contra sermonibus ambo .
Constans Nicænæ fidei patronus habetur:
Hic Donatistas satagit reuocasse procaces
Sanctorum in numerum, collectio vt vna sequatur ,
Indiscissa prius: quia sed persistere certant
Sensibus humanis rerum, verbisq. receptis
Incassum satagit, curatve reuoluere mentes .
Corpore traducto Babylæ obmutescere Ditem
Contigit in lucis Daphnes virtute refractum
Diuina, vt Supero cedant stygia arma fauori.
Rex Sapor interea Persarum hostilia contrà
Apparat: inde Isthazanem, centumq. piorum
Ense necat, pariterq. Azadum conficit hasta:
Millia sex, & dena super cecidere ducentum
Exceptis alijs, quorum neque nomina possis
Discere, nec numerum, quia non numerabilis esset.
Ipse globos poteris prius enumerasse niuales ,
Et vernas frondes, flauas æstatis aristas.:

Ac poteris pariter poma autumnalia nosse,
Vel fusos cæli volucres, piscesq. profundi,
Extinctos ferro quàm percensere fideles.
Oppugnare studet Regis Constantius ausus,
Castra mouet contra, sed vix obstare videtur.
Constantem interea Magnentius opprimit audax,
Inde Nepotianum interimit regnare paratum.
Constantij iussu sacras Iulianus in ædes
Cesserat, & Gallus patrui de semine nati,
Vt vitæ imbelles peragant per tempora curas,
Insidias metuens atque euitasse laborans:
Iustus erat Gallus, fictus Iulianus habendus:
Sed tandem Imperij collegam exposcit vtrũque,
Vt dignè occurrat contrà insurgentia rerum.
Inde necat Gallum, de quo non grata referrent:
Imperij Gallus cum pertractaret habenas,
Destruxit latè vanissima Templa Deorum.
Iulianus contrà quæ sunt euersa, reponit,
Et colit ecce Deos effectus Apostata turpis:
Ac reuocat cultus, quos gratia monstrat inanes,
Prosequiturq. odijs, quem mater amarat Iesum.
O caput infelix, rerum portenta malarum,
Incipe in infernos, quorum te cura moratur,
Incipe, ne sistas, iam nunc tranare recessus.
Diuersa exilia expertum post tempora Paulum,
Arriani interimunt contraria dicta fouentem.
Hi, sua dum curant supponere, plurima miscent.
Iulius ad Superos vita meliore recedit.
Liberius Romæ surgit pro tempore pastor:
Lustrari sacrum vult per Baptisma phalanges;
Depugnaturus contra Constantius hostes,
Nè pro se certet non insignitus Iesu
Militia, aut Iesu qui non sit munere lætus,
Re-

Reiecti in Iesu qui contempsere renasci :
Hinc inde aduersis exercitus astitit hastis ,
Hinc inde oppositos propellere nititur hostes .
Tùm primum vexilla Crucis,tùm signa salutis
Excepta alternis, & tunc vtrinque steterunt,
Vtrinque occisi qui sunt Baptisma professi .
Concurrunt acies,vincit Constantius, Orbis
Sceptra capit solus, conflictu victor in vno ;
Postea de victis Romana in sede triumphat .
Sed verò hæc nimium per gesta superbijt idē .
Lucifer humanis monuit non fidere Regnis :
Liberius suadet meminisse nouissima rerum ,
Hortaturq. animos secum gessisse modestos .
Ille furit rabido spirans crudelia vultu ,
Insequiturq. pios hominum, contraq. minatur,
Ac si felices, fortunatosq. laborum
Successus habeat, quia se iunxisset iniquis .
Infelix, varios qui non dijudicet actu
Rerum humanarum casus , cursusq. fugaces .
Ergo in vota viros secum subscribere cogit ,
Nicænæ in fidei contemptum,ac damna piorū .
Hæc inter signum Crucis admirabile ad vrbem
Conspicitur Solymam diuinitus aere fixum :
Scilicet hortatur reuocans per talia Christus ,
Ad sacra collectos hominum, ac vixisse modestè
Edocet, amplecti planè durissima rerum ,
Mittere sublimes fastus, mentemq. superbam ,
Vt sua, non vani sensus dictata sequuti
Sydereos tandem fines teneamus, & arces .
Conueniunt iterum Patres decernere caussas:
Pluribus extorquet per vim Constantius actus
Confirmare suos, quamuis hi prodere nolint
Dogmata Nicænæ fidei. reiectus ab illo est
Paulinus pastor , pastor Dionysius vnà ,

Martyrio pariter qui post cecidere repulsi:
Vapulat Hilarius, mox & proscribitur idem,
Eusebius secum, secum Pancratius acti.
Liberio expuncto, Felix sua munera captat,
Compedibus duris detentus, & Osius obstat,
Indignos ausus qui reddere certat inanes.
Aegypti, Lybiæq. Patres de sede remoti
Suffectis reprobis, Athanasius abditur antris
Periuri elapsus manibus sub Templa ruentis.
Damna vigent, cædes, incendia, verbera, raptus,
Virgineos cœtus conuicia, iurgia torquent,
Templa cadunt, multosq. hominum sua funera terrent.
Hilarius Pictauiensis maturior æuo,
Postquam animum abstersit maculis baptismate lotus,
Exorat per scripta Ducem; pressura leuatur,
Iussus in exilium sed postea pellitur idem,
Princeps Iuliano satagit nupsisse sororem,
Tutius Imperij vt caueat discrimina secum:
Augusta inuidia cognatæ affecta, veneno
Reddit abortiuos partus, & funera miscet.
Exulat Arrianis pulsus Martinus iniquis,
Cæditur infandis subscribere nescius actis
Felix martyrio functus, felicior esto.
Decreto eiusdem Constantius impius ante
Damnatus fuerat, satagit purgare priores
Liberius maculas reiecta sorte malorum.
Mox etiam rursus reiectus ab vrbe seuero
Principis edicto, quianam subscribere nolit
Actibus hæreticis, saxisq., ac fuste petitus
Pro fidei studio occursat Gaudentius astris.
Suffectum in Zosimum contorquet anathema pastor

Ma-

Maximus exilium durum ſubijſſe coactus.
Dum Zoſimus de more ſuo ſua ſacra Tonanti
Perfeciſſe parat, quia mixta inſania gratis
Impia diſplicuit, linguam, inſtrumenta loquēdi
Sæpius, heu miſerum ſic impellente reatu,
Turpiter exertam, protractamq. ore recepit,
Officium vt nequeat vitæ exercere prioris.
Ruffinum eliſum Rheda currente refuſis
Viſceribus Deus à lætho virtutibus auxit.
Dum ſibi donatum inuiſit Potamius agrum
Mercedem ſceleris, ſubitò decedere iuſſus
Corpore, vt immeritos nunquā conceperit vſus.
Sæpius in terram facturum verba repellit
Vltio Florentem Diuina, atque impia torquet
Ora viri tandem, cum nec reſipiſcere vellet,
Addicit fato, quò ſic deſiſtat, acerbo.
Exilio Hilarius proprias reuocatur in vrbes.
Arriani decies renouant, quid credere vellent:
Dum renouant, ſemper ſunt in peiora relapſi,
Incerti rerum, ac propria leuitate repulſi:
Sedibus intruſi plures ſua vota ſequuti,
Vt malè confuſi, ſic & miſcere parati.
Ecce aliud monſtrum Eois conſurgit ab oris,
Impius oblatrat turpi Macedonius ore:
Vt quaſi Diuinum de ſede exturbet Amorem,
Atque Arrio ſimilis, qui Verbum à Mente re-
uellit
Diuinum, pariter doceat ſub tempore factum;
In foueam errorum nati deducere cœcos,
Et magè cœci animo, quò ſe magè cernere cre-
dant.
Diſcite nunc ambo, quò veſtra inſania tendat:
Dum Mentem Æternam nos dicimus eſſe pa-
rentem,

Eiuſdem Æqualis cur Intellectio non ſit?
Eiuſdem Æqualis cur ipſa Volitio ſecum?
Cur non æternum ſit Verbum Mentis, & actus?
Spiritus Æternus cur non vtriuſque putetur?
Spiritus eſt Patris, per natum fluxit amatum.
Hi ſi ſunt primi, quamuis ab origine primi
Naturæ eiuſdem cur non dicantur ab intrà?
Eiuſdem pariter cur non virtutis ab extrà?
Aſt indiſtinctos garrire Sabellius audet.
O ſenſatum hominem: Num terminus vnus, & idem
Ad quem procedis? ſiue vnde receſſeris eſto?
Occidit expunctus febri Conſtantius acri,
Arrianæ fautor cum labis, & hæreſis eſſet.
Iulianus ſua ſceptra capit, ſimulataq. ponit
Pectora, diſcipulum per quæ ſe finxit Ieſu,
Humano qui ſe retrahit terrore ſolutus.
O quæ monſtra timor terris nutriſſe repertus,
Quæ pariter miti ſub pelle recondita ſeruat.
Ergo Iulianus Magiæ cum deditus eſſet,
Aduocat extremo Magicos ex orbe profeſſos,
Chriſtiadumq. fidem ſacram, præceptaq. Chriſti
Pertæſus Baptiſma odit, Chriſtiq. miniſtros.
Cæſareus quidam ſanctum Baptiſma ſequutus
Ædibus exilijt Ducis, aſpernatus eundem:
Deſertor contra Sanctorum Ecebolius audet
Proieciſſe fidem: ſed mox reſipiſcere viſus,
Iuliano vita functo. quippe oſtia Templi
Obſedit proſtratus humi, veniamq. popoſcit.
Videris artificem ſceleris ceſſiſſe miniſtris
Funera in inſontes, cum mitior ipſe videri
Vellet, perblando ſermone frequentius vſus,
Vulpeculas imitans, quo ſeſe incauta ſequantur
Falſa virtutis ſub imagine corda piorum.
Hel-

Helpidium occidit Christi baptisma professum:
Complures alios specie decepit honorum:
Amouit vexilla Crucis, formamq. reposcit
Antiqui sceleris, vanorum & signa Deorum:
Christiadas gradibus latè deturbat opimis,
Thura recusantes Dijs incendisse prophanis.
Fodit humi simulachra Crucis subuecta sub auras
Prædecessoris studio pia corda gerentis,
Vt nihil intactum, non vlla experta malorum,
Seu sceleris ratio non te compellat in actus,
Si semel acciderit mentem in peiora relabi.
Ergo progressus reperit Calcedone missos
Ad se Legatos Persarum, vbi nouit abundè
Hos gestare pios animos, nec Idola fouere
Velle suum ad nutum, letho decernit acerbo,
Non veritus leges hominum, neque Numinis iram.
Cæsareæ ciues, quod Christi sacra sequantur
Cappadocum in Regno, fuit infensissimus vrbi.
Eupsichium occidit clara virtute fidelem:
Diruta restitui mandat delubra Deorum.
Pro Christo occumbit Basilius Ancyranus,
Quòd vanos cultus doceat cauisse fideles.
Vos Melasippe etiam, Antoni, Carinaq. passi:
Philoromus decaluatur pro nomine Christi,
Verbera cui pueri nixu inflixere seuero.
Bini martyrium celebres subiere per actus
Iurgia, quòd publice in Cybeles simulachra vouebant.
In Phrygia pariter quidam incendere paratum
Dijs rursus Templum, flammas vt ferre coacti
Præfecto Almachio insultent in funere læti.
Martyrium passi per plurima funera Thraces.
Criminis impatiens vrbs Antiochena perosum
Chri-

Christiadum ritus per scommata plurima iactat.
Arguit Eugenius, Macharius arguit vna
Iulianum: Artemius quod defensare laboret
Iudicium contra passos, atque vrbe repulsos,
Dum pariter latè scelus impietatis iniquum
Exprobrat, eripitur terris, donatus Olympo.
Spiritus erroris Daphnes obmutuit, ægrè
Iulianus patitur, caussas de Dite reposcit.
Is Babylæ corpus sibi tantùm obstare recenset.
Transferri iussit. iussi conuicia iactant,
De psalmis repetita pij in simulachra colentes,
Vt Princeps etiam suso sermone teratur.
His ille acceptis immensum excanduit ira,
Subiecisse parat iustissima corpora lætho.
Carcere detenti fuerant sub compede plures,
Emicat hos inter iuuenis Theodorus easdem
Decantans laudes propter quas dura subiret:
Obstupuit Præses, Iuliano detulit isthæc,
Dissuadens hominem latè desistere cœptis,
Hoc quia conatus hi sint ludibria Gentis.
Exorat Præses, soluuntur compede vincti;
Testatur iuuenis sibi visum assistere quendam,
Qui quasi per linum abstersum mœrore leuaret.
Vlcere percutitur tetro, qui vasa prophanat
Sacra Dei, læthoq. datur, discinditur artus.
Hæc eadem infelix dum tentat Apostata Felix,
Iulianusq. cadunt celeri cogente reatu:
Sic miserè cadis Elpidi, Theotecne, Neroq.,
Sed Theodoritus dum prodere fortè recusat
Thesaurum Ecclesiæ, fera per tormenta necatur.
Daphniticum Templum demisso cælitus igne
Vritur, ac secum Templi simulachra nefandi,
Iuliani polluta opera, diuinitus vnda
Arescit. Quidam sese fert esse beatum,

Quod

Quod cœcus cum ſit, non cernere poſſit eundē.
Christiadum quædā iuuenem exhortatur idola
Abijcere, & cultus vanos, & ſacra Deorum:
Lumine perfuſus Dio reſipiſcit abundè.
Ergo domo refugit, quæ deſeruiret idolis,
A patre retrahitur, frangit ſimulachra Deorum,
Rurſus & inde fugit, patrem poſt tempora traxit
In lucem eiuſdem fidei: iam viuite læti,
Tuq., paterq. tuus fidei præcepta fouentes.
Iulianum emeritus per multa ſtipendia miles
Aggreſſus dictis Euſignius ore profatur:
Tu reuocas cultus fugientum ex orbe Deorum,
Ac tibi ſtat curæ ſubuertere nomina Christi,
Scilicet ignarus non præcedentia noſti
Facta Ducum, integro qui rem tentare parati
Cum famulis cecidere ſuis. Tu vincere plures
Vnus poſſe putas tantis conatibus vſos,
Quæ tibi felices monſtrant oracula curſus?
Quis fortunatos hæc per primordia caſus?
Nonne vides cælo traxiſſe exordia Chriſtum?
Nonne vides cælo mentem aſpirare piorum?
Bella gerunt ſtygij vanis conatibus hoſtes:
Decertant odijs planè immortalibus vſi
Cum Superis, Superum deiecti ſede Beatis.
Nos Deus æthereas ſtudet aduexiſſe ſub oras,
Nos Deus è manibus cupit eripuiſſe malorum,
Ac velit in vacuos cæli conſcendere tractus,
Ac velit amiſſas tenuiſſe beatius arces.
Inferni retrahunt, ne poſſediſſe bonorum
Contingat nobis, ſibi quæ quaſi debita vellent.
Tu Ducis inferni ſis votum implere paratus,
Tu Ditis patronus eris, ſcelerumq. miniſter:
Nec potius cures Chriſto ſeruire parenti,
Nec potius ſtudeas cæli ſuperare cacumen,

Vt

Vt consors fias præclara per acta bonorum.
An Constantinus, tibi qui tua sceptra parauit,
Non hac in cælum non creditur arte receptus?
Degeneres animos & stat gestare per actus
Infandos, moresq. malos, & pectus iniquum.
Vix ea, cum cæcas Princeps exarsit in iras,
Vtq. reum damnat per verba ferocia factum.
Ille quod optanti vix fas sperasse videtur,
Militia meliore vsus subit vltima rerum
Pro Christo, vt Superos pernicibus inde recessus
Attigerit plantis, lætosq. inuiserit orbes.
Ecce Iuuentinus cum deplorasset abundè
Indignos casus rerum, cursusq. nouarum,
Maximus & secum hæc eadē memorasset apertè,
Miles vterque fuit, delatus vterque furorem
Iuliani sensit, rabidamq. satellitis iram.
Quippe bonis spoliati ambo, sub compede multos
Transegere dies, tùm demum funera vitæ
Facta recusantes descendere in impia passi.
Publia contempsit cantu simulachra Deorum,
Iulianumq. pari studio simulachra colentem.
Audijt ille sonos, Publiæ dum transit ad ædes,
Præcipit à cœpto quamcumque absistere cantu:
Pergere mens Publiæ est: ergo correpta sub ictus
Insonuit veneranda senex, præfecta piarum.
Mimus erat, dictus Porphyrius, ethnicus antè:
Per ludum hunc voluit dona irridere sacrorum
Iulianus, scenis Baptisma agitare salutis.
Ille vbi se Dia tangi persensit ab vnda,
Immutat pectus, Christumq. fatetur, & optat
Ex animo fouisse diu, semperq. recepta
Dona sibi, oblatumq. decus, mentemq. fidelem.
Ergo neci tradit, qui sic delusit eundem:
Mens

Mens victrix celeres conuertit in astra volatus.
Antiochenæ vrbis ciues incommoda passi:
Dum per totam hyemem collecta ibi castra mo-
ratur,
Corpora dissecuit puerorum, ac membra piorũ,
Vt latè Magicis deceptus ab artibus imo
Euocet ex Orco Manes, aperire futuros
Successus rerum, & casus prænoscere belli,
Quod sibi Persarum fuerat cum gente gerendũ.
Fortè idem Tarsum concessit Apostata in vrbẽ:
Conqueritur secum vani venerator Idoli,
Amotas quondam per dedecus esse columnas
Æde sibi addicta, quò Christo templa dicentur.
Restitui mandat: sed dum traherentur in ædem
Per socios Mystæ, sub limine constitit ipso
Pondus, vt induci reprobos non possit in vsus.
Postea Iuliano fatis cedente supremis,
Christiadæ in Templum facili retulere labore:
Nec verò infandis non delectatus amicis,
Aut famulis semper fuit, impurisq. cinædis,
Siue meretricijs non ceiiit amoribus idem,
Cùm grege cum tali stipatus obiuerit vrbes.
Ecce Palestinæ aggreditur penetrare recessus:
Hic vbi Nestabum, Eusebium, Zenonaq. fratres
Christiadum fidei addictos in vincula traxit.
Mox etiam totam placuit lacerare per vrbem,
Maiumam abstractos, ac denique tradere morti:
Nec dum etiam sensit rabidos cecidisse furores,
Mortua constructa succendit corpora pyra:
Ac ne Christiadæ cupidi de more recepto
Ossa colant, aliena ijsdem admiscere laborat,
Vt fuerint eadem diuinitus agnita falsis:
Tantus inesse solet menti furor impius intus,
Cùm semel exciderit donis cælestibus acta.

Vt

Vt nunquam sistat, donec mergatur in ima.
Christiadæ, coluere Dei quia Templa, fuerunt,
Et quia Diuini seruant quasi pignus amoris,
Et quia mox aderit manibus sibi gloria plenis;
Insequitur pariter Monachum Hillariona per ipsum
Præstigijs vndæ sacræ virtute solutis.
In Syria reprobis pariter laxauit habenas
Indigni sceleris contra pia membra paratis:
Diffundunt cineres Elisæi, atque ossa prophetæ:
Effodere alij Baptistæ membra Ioannis,
Postea per flammas fœdè consumpta voraces;
Consertos artus suibus posoere vorandos,
Quò cupidum explerent optata per hordea ventrem.
Consueuere prius Libano de monte coloni
Fortuitò dare casta viro stupranda reperto
Membra puellarum: quem Constantinus abundè
Morem exturbauit, Veneris delubra nefandæ
Subuertens. Ergo cum concessisset ijsdem
Iulianus populo sese opposuisse fideli,
Dilacerant iustos, atque impia funera miscent.
Cæsus Arethusæ tum Marcus Episcopus ense'est,
Pastorem infensum Bostrenis reddere curat.
Fœmina profluuio quondam sanata cruoris,
In patria Christo simulachra dicauerat vrbe;
Impius amouit proprijs in sede locatis:
At Deus iratus per fulmina deijcit isthæc.
Quidni deijcitur scelerati criminis author?
An Deus expectat reuocari pectus iniquum?
An ne velit potius corda exercere piorum?
Ecce monet, rursusq. docet noua signa daturus.
Ergo base super sanissima surgere visa est
Herbula, quæ fœdos potuit depellere morbos,
Co-

Cogere in arma parat Monachos, ſacrosq. virorum.
Duro propterea incluſum ſub carcere quendam,
Diuus Apollonus viſit, retinetur iniquè:
Splendor adeſt intus, diuinitus oſtia latè
Panduntur: cuſtos decedere ſuadet eoſdem,
Miratus caſus, & ſacramenta piorum.
Fortè aliàs reprobi liberrima corda gerebant
Principis ex iuſſu celebrantes Orgia Bacchi,
Circùm ſigna ferunt vaniſſima. Nouit abundè
Diuus Apollonus, qui damna miſertus eorum,
Exorat Chriſtum, quò per quaſi vincula nexi
Immoti, fixiq. loco ſiſtantur eodem:
Inde ſtupeſcentes poſtquam per verba reſoluit,
Vt poſſent ceſſiſſe locis, Baptiſma repoſcunt:
Addita propterea ſunt pectora plurima Chriſto,
Vt contra incaſſum quis decertare laboret,
Si ſibi ſtet mores terris abolere nefandos,
Si ſibi ſtet populos cæleſtibus addere rebus.
Non ego Patrophilo laudem impertiſſe laborē,
Qui Vercellenſem clara virtute decorum
Paſtorem Euſebium crudelius expunxiſſet:
Nec placeat tecum in laudes Arriane Georgi
Deſcendiſſe tuas, per quem fuit vrbe repulſus
Defenſor fidei clariſſimus Orthodoxæ.
Hoc vita functo in patrias Athanaſius oras
Liber abit ſciſſos populos ſarcire laborans.
Concilio indicto concurritur vndique terris:
Conuenére Patres Itali digniſſima nacti,
Qui merſum occiduis Solem videre ſub vndis
Surgentem Eois & qui videre ſub oris;
Græciq., atque Arabes, quiq. oppida lata Syrorum
Sollicitè impellunt portus intrare ſalutis:

Ari-

Arida qui Lybicos habitant per littora tractus,
Et quos irriguus septena per ostia Nilus
Alluit ignaros pluuiæ, nimbiq. rigentis,
Missus Liberij partes Eusebius egit
Antistes clarus, cuius sermone salubri
Ianua reclusa est lapsis in ouile receptis.
Tum quoque Apollinei blasphemia cognita passa est,
Quæ secat humanam Christi de corpore mentẽ,
Vt pariter tollat lapsorum à mente salutem:
Non etenim possent intercessisse labores
Humani verè, non vera sequentia pœnas
Funera, nec veræ fuerit renouatio vitæ,
Si mens à Christi discerpitur artubus isthæc:
Sic fraude inferna verbo quassata sub vno,
Tota fides rueret nostræ solatia mentis.
Lucifer in lapsos decreta seuera reposcit:
Labitur ergo miser, nec per se lenia ponit,
Vt sint æterni per sæcla sequentia casus.
Hillarius Gallos reparat potiora sequutus:
Eijcitur rursus patrijs Athanasius oris,
Tartareo virtutem hominis testante Tyranno.
Ergo latet rursus, rursus vexata fidelis
Turba fuit, pastore carens, ac voce docentis.
Diuitiæ abstractæ iustis sub mœnibus vrbis,
Romanæ quasi digna ferant sacra iussa sequuti:
Fisco addicuntur, quas hospes Ouinius ædes,
Prædiaq. è proprijs multos possessa per annos
In peregrinorum tenuisset commoda, & vsus.
Ergo qui Fisci sub nomine commoda, & vsus
Hos sibi deposcunt, iactantur dæmone rapti,
Seu lepra infecti fœdè carpuntur acerba.
Pellitur Italia sic exorantibus ijsdem
Dæmonibus, sibi dum non cedit dura ferendo,
Ab-

Abſciſſum caput inde ſibi pro nomine Chriſti
Paſſus, vt extremos claudat præclarius actus.
Hillarius Roma, & ſecum Donatus in vrbe
Paſſi etiam, Tybris patitur Pigmenius vndas
Merſus aquis fluuij, Priſcus, Benedicta, Dafroſa,
Demetria, & Priſcillianus, Bibiana ſororis
Demetriæ exemplum conſtanti corde ſequuta.
Ecce recuſantes Paulus, fraterq. Ioannes
Thura dediſſe Ioui; ferro truncantur iniquo:
Paſſus pro Chriſto Leopardus funera Romæ,
Gordianus pariter, coniuxq Marina fideles,
Quos Chriſto genuit Ianuarius inſperato:
Quippe veneficiјs dum ſe purgare laborat,
Quæ ſibi non meritò per fraudem obiecta videret,
Inſinuat Chriſtum, Chriſti virtute repulſæ
Sunt vmbræ ex animis, Chriſtumq. fatentur o-udntes.
Tulkenſem, Eliphiumq. necat par nobile fratrũ,
Ac necat Eucharium ſecum, binasq. ſorores,
Libaniam, & primæ ſectantem exempla Suſannã.
Te quoque Victrici dicam, qui plurima paſſus
Carnifici tenebras potuiſti offundere cæcas,
Vt ſoſpes fieres: mox factus Epiſcopus, olim
In fidei leges Neruіos, Morinosq. vocaſti.
En Donatiſtæ proprias reuocantur in vrbes
Principis edicto precibus fallacibus vſi,
Exilio pulſi prius: hinc incendia miſcent,
Et cædes, ſcelerata animi argumenta ferentes,
Euerſi ſecum, iuſtorum in damna virorum,
Sacrarum & rerum contemptum, ac dedecus ingens;
Dum ſacra proiјciunt canibus, retulere furentes
Hi greſſus latè, authores mordere parati.
Pro-

Proiecta ex alto quæ vitrea Chrismatis vrna est,
Inter saxa iacet nullo confracta sub ictu.
Christiadas sancit Galilæos lege vocandos,
Impius, vt Christi voces ex orbe repellat:
Christiadis vexilla Crucis Dux exprobrat idem,
Sanctorum & cultus in corpora nota virorum,
Quæ rata pro iustis alij posuere vocatis.
Irrita decreuit, ne quisquam immunia poscat,
Et modios tritici, quos vertit Abercius vsus
In sacros quondam, rescripto aboleuit iniquo.
Imperat in Persas argenti pondus & auri
Christiadis ingens, desertoresq. sacrorum
Efficit immunes, vt se certare videres
Ex odio Christi: nullos communia legum
Christiadis vsus, non impertire fauorem,
Subsidiumq. lubet, non se defendere verbis,
Si qui forte velint nocuisse, aut tendere contrà;
Quin etiam (infandum,) si quæ concessa fuissent
Christiadis contrà reprobos, ac semina nequam,
Iussit vt iniustos pœnas soluisse petitas.
Militia eiecti pariter Baptisma professi,
Doctores, apti nisi qui se Iudice, moti,
Christiadas repulit cathedris: quo tempore Do-
ctor
Floret Apollineus scriptis certare paratus,
Omina Diuini sensit permulta furoris,
Nec tamen à cœptis absistere curat iniquis:
Quin etiam impietas animi fuit aucta scelesti.
Iudæis ergo Solymæ delubra potentis,
Cœcus amore sui refici præcepit, vt altè
Insedisse animo scires odia aspera gentis
Christiadum, atque angi Iuliani pectus ab vno,
Scilicet in terris Christi si nomina laudes;
Vt magis hoc nequê nô fingere posset Auernus,
Signa

Signa tibi demas monſtro ſeruanda futuro.
Iudæi irati ſternunt delubra piorum.
Ecce autem interea dũ machina feruet, & inſtat
Alipius iuſſus ſubducere in aëra molem,
Flamma volat, crebriſq. aſſultibus excita terris
Fundamenta quatit, lapideſq. abſumit,& artis
Inſtrumenta vorat tenui reſoluta vapore.
Multi propterea ſacrum Baptiſma ſequuti
Perfidiæ cultus longè abiecere prophanos,
Si qua ſuperfuerant alibi congeſta locorum
Duratis animis, ſemperq. obſtare paratis.
His magno fieri vult clara theatra labore,
Vt, victor Perſas cum fortè repreſſerit hoſtes
Obijciat lanianda feris ibi membra piorum:
Infelicem animum, qui non inſtantia rerum
Fata vides, ſortemq. tuam, caſuſq. futuros.
Ergo deluſus per vana oracula, Perſas
Inuaſiſſe ſtudet iuſto cogente reatu
In mortem, vt diſcas Numen metuiſſe verendũ.
Credibile eſt,ſtygios ſeruatum velle Tyrannum,
Qui ſua compleret vota iniuſtiſſima: ſed non
Scandala Numen amat durare diutius, vt ſe
Simplicium agnoſcant,celebrent & corda piorũ.
Venerat ad Tygrim, Niſibin intrauit in vrbem:
Efferri iuſſit Iacobi corpora quondam
Paſtoris gentis, Niſibis ne gente colatur.
Demetrium hic Monachum contra ſua crimina, & actus
Inuectum, & magna cum libertate loquutum,
Diſcipuloſq. duos per ſaxa furentia ſternit.
Miſerat occiduas,qui res cognoſcat, in oras
Dæmona, qui Publij cum pertranſiret ad ædes,
Non vltra potuit curſu procedere, votis
Refractus denis à prima luce diebus.

Ergo

Ergo redit Publij latè testatus honorem.
Audiuit quidam Procerum, castrisq. relictis
Despectum vitæ genus amplexatur, & actus
Quanta inerit virtus, cui sit quoque copia recti.
Congreditur tandem castris hostilibus idem
Iulianus, bellumq. mouet, malè verba sequutus
Alterius, qui consuleret succendere naues,
A tergo, vt miles magnum discrimen adiret
Propterea, & victus angustia presserit artus.
Collatis ergo manibus, læthalis arundo
Dum volat, & certum deposcit corpora signum,
Transadigit misero costas: bibit hasta cruorem.
Tùm quoniam sensit sibi funera dira parari,
Haurit ab inflicto plenam quoque vulnere dextram,
Effundens latè pertesus sydera, cælum:
Atque ait in Christum, sicut consueuerat antè,
Impia verba vomens, Superas Galilæe: peribo.



ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER SEPTIMVS.





Nfernis steterat ducibus turbare fideles,
Quà possent, initæ rumpendo fœdera pacis
Firmatis animis aduersa in cuncta parati,
Mentis vt æternæ rectis conatibus obstent:
Pertæsi quæcunque Deus fecisset Iesu,
Pollicitus terras, atq. astra prementia terras;
Vt contrà superis extollere nomina Christi,
Electæq. nouos per mystica corpora sponsæ
Sparsisse ornatus, varios quasi texere flores
Vestibus: ac si quis discriminet aurea gemmis,
Setæq. argento, seu purpura mixta coruscet.
Ac veluti capiti si quis diadema decorum
Imponat, seu si perfundat odoribus ædes:
Non secus esse putes in Iesu corpore Christi
Symbolico, dum bella tument, dum feruet iniquus
Insultans iusto, dum per contraria rerum
Exercet famulos Numen, quò pura resurgant

Pectora sciunctis a terra affectibus ima;
Discat & in superos animum conuertere sensus,
Diuersas renouans metas, tractusq. viarum.
Qualis sæpe solet repetitos ducere cyclos
Exercendus equus cursu latè omnia lustrans:
Seu dum progressu certat calcaribus actus,
Seu dum regreditur, seu librat in aere plantas
Ad numerum pulsas, spatio si fortè resistat
Ductu equitis, studio formantis, & arte magistra.
Sic penitus Domini certissima cura, laborq.
Quò vocat impulsus, rerum moderatur habenas,
Formandoq. animos, propellendoq. subactos:
Vt quasi per maculas, ac per diuersa notarum
Imbuti puris affectibus inter acerbas
Corporis ærumnas præterlabentis, & actus
Innocuæ vitæ, plenæq. laboris in annos,
Dum curis mentem exacuunt, scriptisq. lacessũt,
Seu pulsare hostes, seseq. suosq. tueri
Contingat, sacramq. fidem, atq. innoxia rerum,
Astra velut terris clarissima distinguantur.
O fortunati nimium, quos inclyta virtus
Nobilitat, Diuumq. fauor, quibus alma serenat
Lux animos, mentemq. piam, quò recta sequantur
Obscuris latè tenebris, longèq. fugatis.
Ergò Doctorum visus consurgere cætus
Successiuorum contrà impietatis amicas
Sectarum turbas: semperq. refloruit olim,
Si quibus ex caussis visa est siccescere tellus.
Tu mihi successus horum, tu nomina profer
Heroum, tu vera doce dignoscere rerum
Spiritus ætherei patris, tu sacra recense,
Tu caussas scelerum, ac sensus tu pelle malorũ.
Inter præcipuos hac tempestate vigebat
Gregorius, Nazianzenum dixere priores:
Ac

Ac ſecum viguit magnus Baſilius vnà.
Attraxiſſe auidus primam Iulianus in vrbem
Aduocat: hi tutos ſed tentauere receſſus,
Exoſi mores hominis ſcelerata ſequuti,
Vt quaſi ſe faciles ad bella futura pararent
Contrà hoſtes fidei, & clarum certamen inirent
Pro virtute pari ſtudio, rebuſq. gerendis,
Doctrinis hominum celebres, pietatis amantes.
Hùc te ſubſequitur Baſili Emmellia mater
Ponè ſequens, ſpectata parens laudabilis actus.
Ecce Sabelliani, cum vita ceſſit, in vrbe,
Cæſaream dixere nouam, prò tempore Paſtor,
Iuſtitiam veriti, ſibi qua Baſilius obſtet,
Expunxere virum turbas miſcere parati,
Aduerſumq. minas, & peſſima iurgia iactant.
Ille gradus infert ſe non ambire notatos,
Eſſe ſibi curæ, quò digni electio fiat,
Ac monet Hæreticis ciues cauiſſe ſceleſtis,
Euſebium infenſum ſibi præfecere frequentes:
Euſebium ſequitur ſed mox Baſilius idem.
Iuliano miſerè extincto Iouianus in arcem
Imperij rapitur: quippe acclamatus ab omni
Militiæ turba Ductor, paciſq. recepto
Pignore Perſarum à Ducibus remeaſſe laborat,
In patriam ſoſpes. Tùm Relligionis honorem
Diuinæ renouat per clara edicta, ſeueri
Argumenta animi contrà Baptiſmatis hoſtes:
Paſtores reuocat pulſos. Athanaſius omnes
Inter primus erat, qui cum paſtoribus ijſdem,
Ac ſynodo lecta fidei miſiſſe libellum
Dicitur, vt nondùm corruptas occupet aures
Principis illius, fuerat qui ſumma potitus,
Non paruum eſſe ratus momentum ad plurima rerum

Præripiendo animos occursauisse malignis.
Ex votis res ista cadit, Ductorq. professus
Dum se conueniunt, animos per verba fideles,
Impulit Arrianum plures deponere sensum,
Nicænamq. fidem cura fouisse libenti.
Lucius, Euzoiusq. parant auertere mentem
Principis: ille minis a se reiecit eosdem
Obtrectatorum studia exercere paratos.
Rescissa in partes Vrbs Antiochena duorum
Ex caussa fuerat: nam te Pauline sequuntur,
Plures, Meletio pariter fauere frequentes:
Tùm magis, atq. magis scissura recurrere visa est.
Non potuit motas cedens Athanasius inter
Extinxisse faces, non has componere lites.
Iungitur Hæreticis spretus Vitalis apertè:
Præfecere hominem socij. Iouianus abundè
Deceptus reuocare Magos quasi Dia docentes,
Ac præcessoris tumulum exornasse laborat.
Ergò improuisò vita cessisse repertus,
Ac meritas Christo pœnas soluisse coactus.
Ecce Valentini fratres sublimia captant
Munera Ductorum: Iulianus abegerat illos
Armenum in Regnum relegans, quia prodere nollent
Christiadum legem, ac ritus: Iouianus eosdem
Armeno è Regno notas reuocarat in Vrbes.
Denique virtutis studio fastigia rerum
Summa tenent, merito nec dedignatur honore
Terra Duces, cultus qui contempsere Deorum
Infandos, Christo cupidi seruire parenti.
At verò nullos hi non sensere rebelles:
Vndique concurrunt auidæ decernere bello
Hostiles acies, defensantesq. Phalanges.

Con-

Conueniunt fratres natu regnare minorem
Arxe ſub Eoo: iuuenem dixere Valentem,
Armaq. maiorem occiduis tractare ſub oris:
Ipſa Valentini ſunt Ani nomina primi.
Reſtituunt Vexilla Crucis cũ nomine Chriſti.
Præclarè nobiſcum actum cenſemus ab ijſdem,
Si non impugnent: quippe edixiſſe feruntur,
Cum primùm excelſi tetigere cacumina Regni;
Se nolle arbitrium, aut morem reſcindere cultus,
Quem ſibi quiſq. legat, non interuertere curſum,
Sed ſua quiſq. colat, ſibi quæ meliora putentur:
Sic facilè ſe poſſe rati, quæ maxima cura eſt,
Continuiſſe animos ſecum diuerſa tuentum.
Non viciſſe tamen, nec ſufficientia prorſus
Conſilium humanum potuit conferre quietis.
Nanq. vbi Procopius Iuliano affinis iniquo
Hos longè aduertit, bellis qui fortè gerendis
Diſtenti fuerant, inuadere ſceptra laborat,
Et quaſi ſub vacuis ſeſe vnum intrudere Regnis.
Ecce Valens forti adiuncto ſibi milite fuſum
Occupat, à ſocijs & vincla miſerrima paſſum,
Sortis vt humanæ nemo non conſcius eſſet.
Helleſpontiaci renouant, quid credere perſtent
Arrianæ addicti ſectæ, ſimileſq. repellunt
Deſertorum animos. quamuis contraria noſtris
Diſpoſuiſſe velint, ac noſtro diſſita ſenſu:
Se ſocios finxere tamen, communia nobis
Polliciti, quoniam exagitent peiora ſequutos.
Ecce Valens optat ſacra Baptiſmatis vnda
Abſtergi, dum bella Gothis inferre minatur.
Sed malè blanditijs Arrianæ vxoris, & aſtu
Decipitur lapſus, quò non ſaniſſima poſcat.
Aſt vti ſibi contingat Baptiſmatis vmbra.
Nanq. per Euzoium, quem munera ſpõtè vocauit

In sacra, non faustis iurare coactus apertè est
Ominibus, labes defensauisse nefandas
Dogmatis Hæretici, cuius sectator adesset
Ipsemet Euzoius. quò circà infensa piorum
Actibus acta Ducis præcognouere frequentes.
A Patre Gregorius fuit accersitus in Vrbes,
Vt doceat, quæ digna putet se præsule gentem.
Gregorius pariter certat coniungere lecto
Eusebio socium, quem nouerat esse probatum
Moribus, & vita, doctrinæq. vsibus aptum.
Perficit: ille suum munus felicius explet,
Ac præstare studet tali se munere dignum.
Arriani Hæretici vexant obstare paratos
Suffecto Eunomio, qui se iactarat abundè.
Qua pastor fuerat depulsus Eleusius Vrbe est.
Ecce Valens vomitum, secumq. Vrsacius vnà
Indignè repetunt, ac pertraxisse laborant
Pastorem Mysiæ in sensus per scripta scelestos.
Ille docet rectos, quos & profitetur eisdem,
Dum responsa dedit: decedit Acacius hostis
Orthodoxorum, vita defunctus iniqua.
Liberius Romæ pariter prò tempore Pastor:
Tempore Liberij Romæ vir nobilis Vrbe
Extitit, insignis clara virtute Ioannes:
Huic mulier coniux æquè pia, degerat annos
Complures secum; clara sed prole carebat,
Diues opum. Christi ergò hæredem ex asse parentem
Instituisse cupit Mariam. dum talia versat,
Sextilis mensis quinta sub nocte dierum
Nix super Exquilias, dictu mirabile, montem
Labitur è cælo circùm diffusa per orbem.
Mox ex composito sibi visa refulsit imago,
Quæ pariter sic orsa loqui: Tua cura perennis,

Qua

Qua iuuat in nostros animum componere cultus,
Grata mihi, ac meritæ tulerit tibi præmia laudis,
Ergò per Exquilias vbi manè videre vapores
Contigerit niueos, canosq. rigescere nymbos,
Sacrandas nobis ibi munificentius ædes
Extruxisse para: sic vota reponere mens est.
Dixerat, effusas commota refugit in auras
Forma procul visus, cursuq. retexuit astra
Diua parens, volucres imitans, comitata frequẽti
Agmina cælituum. Compressus mente Ioannes
Discussit somnos, dulciq. moratur in actu
Alloquij superi, dubius de sorte futura
Signorum, ac positi per læta insomnia casus.
Iamq. eadem coniux animis conceperat æquis,
Proposito monita exemplo, Diaq. figura,
Liberiusq. pater populi, custosq. fidelis
Hos pariter sensus incerto corde reuoluit,
Conscius ætherei simili ratione fauoris.
Astiterat coràm nota pietate Ioannes
Coniugis hortatu iam concurrentis in vnum
Manè recensitos declaraturus honores,
Obstupuit primò pastor: mox cognita secum
Pectore nocturnæ relegens monumenta quietis
Accitis socijs, & sacræ sortis alumnis
Conuenit Exquilias celeri conscendere gressu.
Ite alacres lecti cætus, populusq. piorum,
Fundamenta noui iunctim decernite Templi.
Hæc erit illa domus, qua se diffundet in omnes
Gratia Diuinæ Matris felicius oras.
Ergò feruet opus, designatumq. Ioannes
Extollit sumptu templum, luxumq. superbo.
Centùm ibi perpetuò madidi sudore diei
Pondus, & ardentes solis sensere calores:
Millia reddituum tùm sunt exhausta bonorum,

Vt tamen in reliquis, postquam sacrauerat ædes,
Cultores Templi ditet, Templiq. ministros.
Salue Diua parens, Virgo dignissima rerum,
Altera spes hominum, cæli lux altera salue.
Ergò adsis precibus, quas & propensius ædes
Elegisse potes, nati per numen honora
Propitium, & molles te compellantibus aures
Iunge pari studio, faciles aditusq. locorum;
Vt quasi sub tutum nos confugiamus asylum
Vestra ope subnixi, stygijs incursibus acti.
Liberio vita functo consurgere visus
Iam Romæ Damasus fuerat, qui posteà passus
Authorem contrà se schismatis Vrsicinum.
Ecce autem insurgunt plures contendere certi,
Per vim, si sit opus, decernere cuncta parati.
Inualuere animis, atq. arma ferocia miscent.
Ergò cæduntur passim diuersa tuentes,
Schismaticos: præses sed Prætextatus ab vrbe
Propterea exturbat. sed non est reddita genti
Propterea requies: quia nàm cæpere frequentes
Concursus fieri plebis sub proxima Romæ
Mænia, vt edicto fuerit remouere necesse
Longiùs authorem turbarum, & schismatis actũ.
Principio nobis tollenda occasio rerum,
Si fieri possit: tenero nam sæpe medemur
Morbo occurrentes longè felicius. at si
Contigerit vires habitu firmasse recentes,
Vel non dimoueas, vel non nisi cesserit ictu.
Cura Vrsicini Damasus non prorsus ab omni
Liber erat, synodum cũ Romæ habuisse refertur.
Ecce Valens illic, secumq. Vrsacius vnà
Ex Arrianismi caussa damnantur eadem.
Concipitur Nicæna fides, concepta fouetur
Rursus, & externas per scripta probatur in oras,
Po-

Fœmina adulterij iniustè rea facta refertur:
Vercellensis erat, mendax peccata fatetur
Quidam ex opposito iuuenis: negat illa nefandū
Casta scelus, trahitur peccati nescia in atros
Tormentorum actus, quasi cōscia criminis esset,
Ac tandem iniustè lætho damnatur acerbo
Nondum conuicta, vt penitus conuicta malorū,
Sæpius icta fuit, nunquàm obtruncata securi.
Seminecem tumulare parant, rediuiua resurgit,
Eripitur tandem & victrix, & sospes ab hostis
Infandi manibus, læthoq. ac funere læthi.
O duplici celebranda sono dignissima rerum,
Quæ fragili in sexu non vlli obnoxia culpæ,
Quæ pariter martyr, quod noxia diceris esse,
Ac pateris, nulli cum sis obnoxia culpæ.
Tu Deus exturba terris infanda reorum,
Ac redde iniustis iuxtà sua facta malignis.
Imperij in sedem deffluxit ab æthere grando
Dira nimis: plures hominum cecidere sub ictu.
Credita supplicium contrà impietatis alumnos,
Agmina pastorum quia sunt eiecta piorum.
Inde fames orbem obtinuit: Basilius inter
Enituit reliquos forma laudabilis actus:
Quippe per effusos sumptus occurrit egenis,
Sollicitam illorum ex vero virtutis amore
Curam corde gerens, sortem miseratus acerbam.
Ecce Moguntinam deprædaturus in vrbem
Ex insperato raptor consurgit, & omnem
Abducit cætum, captiuatosq. colonos:
Christiadæ abducti pariter, rerumq. supellex.
Quàm miserè pereas, si non Deus æthere curet.
Hæc inter motu terræ, ac telluris hiatu
Fundatrix fidei, defensatrixq. colendæ
Absorpta ingenti cadit vrbs Nicæna sub auras,

Vt tamen effugiant aliqui discrimina passi.
I nunc, & terris æterna require sub imis
Vile caput, si non vrbes æterna reposcunt.
Contigit optato prosternere Donatistas,
Dum doctè scripto reprobat falsissima rerum,
Seu dùm vera docet nos per distincta notarum,
Hæc eadem Damasus damnat per tēpora rursus
Arrianos sensus, sectatoresq. repertos.
Hos omnes inter princeps Auxentius esto,
Quem patres gradibus latè expunxisse laborant;
Ac nisi Dux obstet, fieri contingat, vt idem
Marcescat populi studijs proiectus in ima.
Ergò nocet, quæ nos fouisse potentia debet,
Cæsarius cessit fatis, Emmellia cessit;
Nati Gregorius Nyssæ, Basilius ipsa
Cæsareæ meritò pastor suffectus in vrbe est.
Hillarius pariter cessit celeberrimus actu
Sanctorum, Hæreticis qui longè infensus iniquis
Extitit, vt scripto qui corda fidelia sensu
Firmauit, reparans damna extirpanda reorum.
Fatis cede tuis Hillari lætus, & astris
Ætherei succede poli, quæ maxima sunto
Præmia suscepti latè condigna laboris.
Quæsieris, qua de caussa permiserit author
Ecclesiæ Christus vexari castra piorum,
Vt nunquàm desit sors infestissima rerum,
At semper vigeat caussa eradenda malorum.
Intendi dicas cælestia dona per actus,
Vt feruor crescat, dùm per contraria secum
Nititur obiecta certans ratione voluntas.
Desidiæ dederis quisquis tua corda nefandæ,
Si non hostiles tecum experiare tumultus,
Si non oppositis contrà stes aufibus vsus,
In mala procliuis semper vitiabere noxa.
Vri-

Vritur interdùm, quæ ſuſcipit eſca fauillam,
Vritur, vt totis incendia miſceat oris,
Si modò diffundat ventis commota vapores,
Et circum contingat agi reſoluta per æſtus
Nutrimenta ignis paleam, ſtuppamq. furentis.
Semina iacta mali iam ſunt Cacodæmonis aſtu,
Diſſita ſunt hominum ſtudia in diuerſa ruentum
Conſilia, & votis non terminus vnus, & idem
Ponitur, oppoſitis vt ſæpe ſit actibus vti.
Ergò virtutis ſi tu ratione moueris,
Ardua ſi cupias rerum curaſſe piarum,
Obdura, & perſta contrà tentare paratos.
Arſacides Rex Armenus, Chriſtiq. fidelis
Interea capitur deceptus fraude Saporis
Perſarum Regis, dùm præſtolatur, & optat
Felices vitæ curſus, & munera pacis.
Cogitur ergò pati miſerè crudelia rerum,
Dum trahitur quaſi vile caput deſpectus abũdè.
Ecce Valens Athanarico ſub Rege Gothorum
Accipitur malè decertans, tandemq. ſoluto
Argento, atq. auro decedere compulit hoſtem,
Ignaræ mentes, quæ noſtræ in damna ſalutis
Dona Dei trahimus: nos ergò recludere fontem
Non ſinimus pacis, quia & perſæpe recluſum
Cæco perfidiæ ſtudio, ſenſuq. ſuperbo
Claudimus in noſtram excluſa bonitate ruinam.
Ecce Valens Gothico, quo preſſa audacia quodã
Liber ab inſultu, rurſus per plura piorum
Orthodoxorum cætus turbaſſe laborat:
Mulctati exilio paſtores ſana ſequuti,
Sedibus eiecti plures: Athanaſius inter
Hos fuit, Euſebius, ſecumq. Pelagius actus.
Hic Laodicenſem Eccleſiam tùm fortè regebat,
Suaſerat & ſponſæ quondam ſeruare pudorem


Virgineum: nunc munus obit, partesq. magistri.
Expulsus licet; & non amisisse videtur,
Sed mutasse locum tantùm, populosq. docendos.
Is Samosatena pastor præfectus in vrbe
Admonet in sano gentem persistere sensu,
Hæreticosq. cauere malos, & signa modesti
Obsequij recipit, queis prosequeretur euntem,
Nutrimenta sibi, tenuesq. in munera vestes;
Legis ab effectu immunes Epiphanius huius,
Paulinusq. manent clara virtute notati.
Euagrius Samosatenis suffectus habetur:
Alloquium fugere viri. mox Lucius hæsit,
Hæretico sensu polluti, Arrianus vterq.
Hic quianam sperni sese cognouit, ab Vrbe
Author præsidibus fuit eiecisse fideles,
Qui sibi restiterant: pulsus Nyssenus in oras
Externas studet in sanctis complesse repertis,
Quod cuperet munus, quo se prodesse potentem
Cerneret intereà, non ocia carpere doctus.
Nicopolitanos Phortani intrusio vexat,
Mox recreat pariter Phortani extrusio pulsi:
Quippe idem eiecit, sibi quos obstare videret.
Nicopolitanis fautor Basilius extat;
Constantinææ cum tandem Eudoxius Vrbis
Cessisset vita præsul. diuersa tuentes
Diuersos statuere Duces, patresue sacrorum:
Catholici Euagrium, qui mox expulsus ab Vrbe est:
Demophilum Arriani, iuxtà quæ vota necati
Sunt octoginta flammæ per dura voracis.
Missi Oratores petijsse leuamina gentis:
Hos inter Theodorus erat, Menedemus & inter,
Vrbanus pariter secum è primoribus vrbis.
Audierat Damasus casus, & funus acerbum,


Zepo-

Zenobium Diuum, qui per miracula frænet
Arrianorum animos misit: tùm Dæmone pressi
Bini sunt facilè populo inspectante soluti.
Nec tamen omninò sic perfida corda quierunt.
Cappadoces vexare Valens intendit, & audet:
Ergò Cæsaream graditur. Basilius Vrbis
Pastor erat: Præses non hunc terrere, Modestus
Nomine qui fuerat, non re, vel pectore talis,
Ante potis, censetq. Valens prosternere mentem,
Vt metuat pastor, si fortè accesserit illùc.
Ille sed intereà non prodere certus ouile,
Prosequitur certos cultus, iam perfidus altos;
Miratur sensus, ac sperni iussa, necemq.
Propositam agnoscit, sed vult vicisse videri.
Ergò animos reuocat, subscribere tētat in ipsum,
Sed nati mortem patitur, Numenq. seuerum,
Sistat vt auersos ea per conamina cursus.
Ecce autem pariter vexari membra Modesti
Incipiunt acri morbo, qui territus hæsit,
Pastorisq. implorat opem. Diuinitus ergò
Conualuit; fidei quæ præmia signa modestæ,
Sic publicè cecinisse idem, ac memorasse solebāt;
Extorquēte viro ex nequam sibi Numine laudē.
Fortè Valens aliàs subscribere curat eandem
Exilij legem: sed iam tremor occupat artus
Ex insperato, calamus quoq. factus inanis
Reddere non potuit misero prætensa notarum;
Vt pariter monitus tandem resipiscere posset.
Assecla Cappadocum Præfecti nititur ad se
Pertrahere innuptam viduam, quæ ferre iugales
Secum animos nollet: Vestiana est dicta piarum
E numero, forma, atq. opibus dignissima, & actu
Virtutum, ac serie longè clarissima stirpis.
Pastorem ergò adijt fugiens, quæ sola fouebat

Spes

Spes miseram: ille obstat monitis, verboq. potenti
Defendens viduæ causam, contraria poscit:
Cæcos raptoris studet interuertere cursus.
Indignè excipitur mala per conuicia pastor,
Et iam dira parat Iudex: sed tota resistit
Occurrens ferro plebs ipsa armata piorum,
Discerptura hominem, sibi ni Basilius idem
Intercedendo latè sit caussa salutis.
Ergò Pastorem Iudex dimittit abundè
Incolumem, & mulier fit Cœnobita sacrarum.
Sic viduę seruatus honos, sic vita tuenti est
Iudicis instabili nixu, ac raptore repulsis.






ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER OCTAVVS.





Vstvs vt assumpto, nunquàm de tramite sistit,
Propositasq. imò metas sub corde reuoluens,
Perpetuò mentem impellis meliora sequutus,
Consiliumq malis reuocat, pertæsus iniquos
Peccatorum actus: Contra sic impius ausus
Aeterni legem semel infregisse parentis,
Ac recto flexisse gradu peioribus hærens;
Semper in ima magis decurrere certat, & astu
Implicuisse animum iustorum in turpia rerum;
Seu pia transfuso latè per pectora viru,
Seu saltem electis in funera dira retortis.
Ecce Valens aliàs tam bis de sedibus actum
Meletium deturbat adhuc, qui lectus in Vrbe
Antiochena esset pastor, dum pellitur idem,
Et curru trahitur studio prætoris iniqui:
Ni populū reuocet, malè sentiat esse premendū
Authorem facti, saxisq impunè petendum:
Eiecto pastore. Valens desæuit apertè

Ortho-

Orthodoxorum in cœtū; quem mergit in vndis:
Quem ferro extinguit, quem probris afficit, & quem
Exagitat pœnis: alios malè mulctat in igne,
Exilijs alios: vt iam certasse Tyrannis
Cum primis possit per funera mixta videri.
Infelicem hominem, cui non terrena fauerent,
Vt superos teneat cursus, & cælica curet.
Infelicem etiam, cui non ea gratia fluxit,
Quæ daret Aethereos aditus, sortemq. benignā.
Succedunt oneri, quamuis non munera poscant,
Flauianus, secumq. prius Diodorus, Aphratesq.
Intercedentes studio pietatis amico,
Solliciti seruare gregem, & collecta bonorum
Agmina, sæuorum rabie lanianda luporum.
Assecla in Aphratem, quòd verba ferocia iactat,
Amens effectus sese proiecit in vndas,
Extinctusq. fuit, quæ proxima damna reatus.
Diuus Iulianus Sabas degebat in antris,
Gestorum fama celebris: sentire docebant
Arriani secum claræ hæc portenta virorum.
Ergo trium studio notas reuocatur in Vrbes,
Hic vbi multa edit Sabas miracula rerum:
Mox abijt fidei publicè dictata professus,
Arriano exploso sensu, sectaq. nefanda.
Nititur Asterius mentem expugnare piorum
Intrusus Cyri præsul: dùm peruius oras
In proprias remeat se delaturus in antra.
Accersitus adest Sabas: iam vota parenti
Sydereo fundunt, ac per ieiunia torquent
Membra pij, duroq. premunt se verberis ictu.
Consilio eiusdem, (mirum) impellente reatu,
Dum pridiè populo facturus verba moratur
Asterius morbo subito cecidisse refertur
De-

Defenſor fidei per dogmata cacodoxæ.
Ipſemet hos populos ſtudio pietatis alendæ
Fraterna ex animi cura non deſtitit abſens
Cæſareæ paſtor Baſilius exhortari,
Obduraſſe malis per nota exempla piorum
Prædeceſſorum ſcripto ſolatus abundè:
Sperauiſſe iubet rerum meliora nouarum.
Creditus inde Valens veniſſe; in iuſta Themiſtij
Vota perorantis, ſenſuſq. fugaſſe malignos.
Vir fuit, vt latè per ſacramenta fidelis,
Moribus infandus tamen: huic Athanaſius acri
Cura obſiſtendum cenſet pertæſus eundem.
Ergò ſanctorum feriens anathemate, cætu
Exturbat, fratresq. ſtudet concurrere ſecum;
Vt caueant hominem malè ſani pectoris omnes.
Præfectus Lybiæ fuerat, Baſilius audit,
Conſenſuq. pari, ſtudioq. accenſus eodem
Cappadocum prohibet commercia ſubiectorum,
Quippe illis oriundus erat præfectus ab oris.
Iam deteſtantur patrij, externiq. bonorum
Monſtrum execrandum: nulli non cognita turpis
Improbitas, nullus non auerſatus iniquum eſt.
Paſtoris quicunque gradus, & munera verſas,
Diſce gregem ſeruare tuum: vigilantia maior
Eſt adhibenda tibi contrà præſcripta potentum
Damna: per eximios hominũ ſubiecta per Vrbes
Pectora prærudium, per clara exempla trahũtur;
Vt credant impune ſibi veſtigia nequam,
Atque actus renouare ducum licuiſſe malorum.
Conſuluere Magos quidam de ſorte Valentis,
Humanæ cupidi prænoſſe pericula vitæ,
Metasq. extremas, ſucceſſoremq. futurum.
Sors inferna cadit ſupra Theod: ergò per orbẽ,
Si cui forte eſſent exordia nominis iſthæc;

Diri-

Diripitur ferro, velut insidiatus eidem
Ductori gentis fallaci corde Valenti.
Crediderint fixos se posse infringere cursus:
Cæca superstitio tantùm viguisse videtur.
Plures Romana pariter cruciantur in vrbe
Sectati hæc eadem: donec reuocata remissa est
Læuior ira Ducis noua per rescripta furentis.
Tunc data sunt artis comperta volumina flãmis.
O vtinam flammis & semina cuncta darentur.
Fœda fuit meretrix gestis famosa nefandis,
Cælitus edocta est tandem seruasse pudorem.
Ergo nouos mores exempla per aspera vitæ
Induit, exemplar per vitæ exempla fidelis.
Ecce Athanaricus, Phritigernesq. Gothorum
E populis Reges inter se prælia miscent;
Hic debellatur, sed viribus inde Valentis
Firmatus renouat percusso fœdere secum
Prælia, & aduersos superat felicius hostes.
Ergo Athanaricus, quos reperit esse Gothorum,
Occidit tota commotus mente fideles.
Sic electorum noua per discrimina rerum
Augetur numerus, cæloq. potitur, & astris;
Audæus Gothicas fuerat depulsus in oras:
Hic vbi sacra docet plures, sed plurima miscet
Indigna, vt statuat non Christi nomina, at ipsos
Corporea Audianos numen sub mole colentes.
Ecce etiam incursu Basilius angitur acri
Obtrectatorum, qui se per scripta tuetur;
Atque orthodoxũ exponit per plurima sensum:
Huic similem reliquis Athanasius expetit oris
Pastorem probitate animi, ac virtute docendi.
Mox Petrum quendam populis delegat eisdem,
Quæsitusque pari studio Romanus alumnus
Per Damasum, Ecclesijs latè legandus Eois,
Sar-

Sarciat vt damnum, ſciſſura quod Hæreſis infert,
Si fieri poſſit, mentes componere doctus.
Nicopoli Theodotus erat pro tempore paſtor:
Armeni Euſtathij commercia noxia fugit.
Hic Arrianus erat: ſed dum Baſilius omni
Conciliare ſtudet cura per tempora lapſos,
Subſcriptum recipit publicè Nicæna profeſſum
Dogmata. nō credit vafro Theodotus, & ipſum
Colluſorem arcet per talia geſta putatum.
Perfidus hinc Diuum carpſiſſe Euſtathius audet,
Quod ſpe fruſtratus fuerit, qua cenſeat olim
Fallendum Theodotum ipſum, Authoremq. ſequutos.
Sic vitij afflatus, ſic eſt contagio turpis,
Vt medicam infeciſſe etiam ſperauerit artem.
Ergò dolos, fraudemq. aduertit ſerò receptæ
Ante Sebaſten ſua per commercia noxæ;
Poſteà Gregorium, nè carperet ocia ſolus,
Conſtituit Saſimis paſtorē: hunc Anthimus inde
Expulit obijciens ad ſe ſpectare, ſuæq.
Metropolis, iuriſq. ſui Saſima oppida poni:
Quippe Diœceſis Tyanenſis Epiſcopus idem
Extitit: ignarus, qui metiretur in actis
Humano penitus Diuina negocia ſenſu:
Amplexandus erat vix præſtantiſſimus in ſpem
Subſidij, cui per tempora talia clarè
Indiga Chriſtiadum collectio tota fuiſſet.
Ecce Valens Barſem, qui per miracula, rerum
Clarus erat, propulſat adhuc, relegatq. per orbē
Sæpius eiectum: quem magna frequentia gentis
Vndiq. ſubſequitur: multi, quos noxius humor
Vexarent, ſeu dira lues decumbere iuſſit
Eiuſdem ſtratis, fidei quæ præmia rectæ
Certa forent, artus (mirum) ſenſere valentes,

Vt

Vt possent confundi animis scelerata sequuti.
Templa Valens Diui Thomæ permisit Edessæ,
Certo ibi complures concurrere tempore sensi
Conuentus de more sacros fecisse sub auras.
Id quianam vetiti fuerant succedere tectis
Orthodoxus erat cætus. succensuit ira
Vt nouit, Dux ipse Valens, cæditq. Modesti
Ora viri pugnis publicè, qui fortè gerebat
Munera præfecti rerum, iussitq. necari
Cœtū omnē, oppositos qui non conceperit vsus.
Ille manu iuncta iam sese accingit in arma,
Cum re præcepta pro Christo ferre labores.
Certa trahit secum infantem pia fœmina natum.
Consilium agnouit Præses: scrutatus eandem,
Et seriem, caussamq. rei. mox ergò Valenti
Nunciat authori facti per iussa nefandi.
Dissuadet, mollire Ducem per verba paratus:
Obtinuit, motus dissoluitur impetus omnis,
Propulsante Deo per mulieris acta feroces
Peruersorum ictus, & funera sæua piorum.
Disijcit in partes cœtum: tu numen iniquas
Argue pro meritis mentes. Relegatur in Vrbem:
Presbyter Antinoem Eulopius, secumq. repulsus
Protogenes, clari notis virtutibus ambo:
Ille prece assidua iustos tutatur ab hoste,
Hic doctrina animos reuocat pietatis in actus.
Mira patrat, morbisq. fugat, tactuq. potenti
Oblatos ægros, vt per baptisma renati
Antè tamen fuerint: optatæ dona salutis
Sæpius impertit. sed motu vbi reddita pax est,
Eulopius Barsæ pastor successit Edessæ;
Protogenes Chaoram excoluit felicius Vrbem,
Quippe ibi complures, queis nondum nomina Christi:

Nota

Nota forent; subiere fidem, & baptismatis vndas.
Indè Zomitanam, qua fortè Bretannio pastor
Sederat, adiecit peruadere ductor in Vrbem.
Fugerat Arrianos, nè per commercia fœdas
Contraheret labes iusto cum semine pastor.
Exilium mox ergò tulit: reuocatur eòdem
Posteà, nè populus rebus studuisse nouandis
Incipiat, ne damna ferat, ciuesq. rebelles;
Humano affectu caussas moderante sacrorum.
Sancitæ leges multæ, seu vana fouentes,
Impia, seu rerum iuxta præsumpta malarum.
Occubuit. qui scissuram conflauerat antè
Lucifer in sanctis, nec non Eusebius illi
Infensus, vitæ quòd sacramenta negaret
Lapsis, contractam labem emendare paratis.
Consulit intereà primam Basilius Vrbem;
Pastoremq., aliqua cupiens ratione mederi
Fracturæ gentis patriæ, caussisq. nefandis.
Pontificis Damasi sub tempore floruit inter
Christiadum cętus Hieronymus inclytus actu
Virtutis, sacræ legis clarissimus vsu:
Discendi studio multas qui cessit in oras,
Postquam Diuino Romæ de fonte reuixit.
Dalmaticis Stridone locis oriundus ab Vrbe:
Ascitus sanctam in sortem præsepia Christi.
Incoluit dudum nostræ cunabula pacis.
Plurima conscripsit rerum monumenta piarum;
Hæreticos latè iugulans, sensusq. malignos.
Hæc inter migrans in cælum Athanasius orbem
Deserit, æternæ remanent sibi præmia laudis.
Succedit Petrus, quem mox Arriana potestas
Expulit, intruso dictus qui Lucius esset.
Cæditur ergò prius quiuis commercia vitans
Hæretici nequam; lateuè fugantur in Vrbes
Ortho-

Orthodoxorum cętus per iussa Valentis.
Intereà iustos Melania fœmina fouit,
Argenti, atque auri Diues, Romana propago:
Quippe cibo gentem iuuit. latuere sub æde
Ipsius, Monachorum etiam complura piorum
Millia, vt effugerent dubiæ discrimina mortis.
Tandèmq. extructis domibus, pietate magistra
Vrgente, electas tota de gente puellas
Virgineum latè seruantes membra pudorem
Degere constituit secum sua vota sequutas.
Præficeris Mauuiæ Reginæ impulsibus Vrbe
Saracenorum in prima per gesta fidelis,
Et clarus Monachus Moyses, qui nomina Christi
Sparsisti penitus doctrinæ labe fugata.
Hæretici rursus Manichæi ex Vrbe repulsi.
Saba Gothus tandem per funera mixta cruori
Pro Christo cadit ex norma celebrabilis actus.
Presbyter occisus Syrmij, quòd perdere nollet
Octauianum hominem secum sub sede latentem.
Eleutheropoli quondam est Epiphanius ortus,
Permeat Aegyptum: mox cænobita seueram
Instituit vitæ formam, tandemq. recepit
Munera Pōtificis Cypriam Salaminia gubernās.
Fudit vbiq. piæ gratum virtutis odorem,
Effectusq; fuit noua per miracula notus,
Doctrina insignis, morum venerabilis actu.
Damnat Apollineū Damasus; sectæq. ministros,
Et Synodus damnat secum collecta piorum,
Seu contra Christum blasphemia iacta fuisset;
Seu contrà Diam per verba scelesta parentem.
Edicto cohibet baptismata sacra nouantes
Occiduus ductor, ne fortè putetur inane
Susceptum primò, quod charactere notauit
Accedentem hominem superis impulsibus ad se;
Si ser-

Si seruata tamen rerum sit forma piarum.
Firmum debellat victor Theodosius armis,
Detentorem Afrum: frater sed Gildo ferocem
Excitat oppositus, gentem vexare paratus,
Vt Donatistis faueat. mox ipse Valentis
Oppressus iussu Theodosius ense necatur.
Filius in mortem expetitur Theodosius atram;
Ne fortè impleri quæsita oracula rerum
Contingat, sceptrumq. gerat, cui nomina verbũ
Per Theod incipiant iuxta præscripta futuri.
Sed verò tutante Deo, pietatis alumnus
Extremo eripitur fato. nam Mæsia primum
Sarmaticam aduersus gentem delegit eundem
Propugnatorem, quò dura piacula vitet.
Incassum curat quis fata reuoluere Diuum.
Excindunt Quadi, Marcomanniq. Pitergum,
Alpes transgressi: mox est Aquileia superbis
Oppugnata armis discrimina passa reorum.
Auxentio Arriano extincto Diuinitus Vrbis
Mediolanensis, qui nondum Ambrosius esset
Sacra vnda ablutus, sacrorum cœpit habenas.
Ergò sacra primùm reparat sua pectora lympha;
Tùm ditasse bonis ceptat Diuina domorum,
Scilicet argento, atque auro, mox prædia miscet
Germanæ solùm fructus pro sorte relicta.
Illicò perfectæ vitæ amplexatus honorem;
Ex Damaso admittit sese per verba monentem
Simplicianum hominem: curãda domestica fratri
Tradiderat Satyro, Diuina sed ipse ministrat.
Iunctus erat secum Diuus Basilius vsu
Scripti sermonis, per quem celebratur abundè.
Marcellina sibi fuerat soror: ista paternis
Aedibus ascitis pariter sociabus eòdem
Perpetuum coluit cum virginitate pudorem;
Ocia


Ocia at ipse cauens complura volumina scripsit
Proficua Ecclesiæ contra impietatis alumnos.
Fortè aliàs Romam cum deuenisset in Vrbem
Membra paralyticæ se consectantis, & actu
Tangentis, precibus potuit curasse modestis.
Pamphiliæ Diuus populis Epiphanius olim
Consulitur, quæ digna putet, quę credere certét,
Exponat, nè fortè sibi subreperet error;
Ille docet recta, & pascit per scripta fideles.
Martinus Diuus Turoni pastor adiuit
Ductorem occiduum, deposcere plurima certus
Commoda pro iustis præscripta ex lege sacrorũ:
Arcetur domibus, Iustina vrgente scelesta
Coniuge, contempto Iesu in pastore repulso.
Ecce autem superis demissus Nuncius astris
E cursu reuocat: remeat Martinus eòdem.
Firmarat secum nequaquàm assurgere Princeps.
Ergò sub ingressus Martini erumpere visa est
Flamma sibi de sede vorax, solioq; superbo.
Protinus exilijt, mox amplexatus, abundè
Vota petita facit, donisq. decorat amicis.
Inde tamen Quadis pacem rogitantibus, idem
Non ferro cadit, at morbo correptus acerbo
Sanguinis in vomitu vitam exhalauit iniquam.
In patris assumptus fuerat Gratianus honores
Iam prius, in patris nunc cedit munera solus.
Dicitur Augustus pariter, qui nomina patris
Propterea iunior dictos per iuncta referret:
Et Gratæ, ac Iustæ, quarũ vtraque Vrigo pudorẽ
Virgineũ tenuisse potest, soror addita Galla est,
Posteà connubio sibi quam Theodosius optat:
Marcellam expetijt Cerealis: at illa repellit
Seruatura artus casta cum mente pudicos:
Ductorem eorum reuocare Themistius audet
Iusto-

Iustorum in frugem. sed frustra optasse laborat:
Postea quippe Valēs Monachorum plurima lędit
Agmina, quòd tumidis nollent insistere bellis:
Quin etiam infando nixu reuocauit in Vrbes,
Munera quò patriæ patrio de more subirent;
Tanta potest animus nequam admiscere malorū:
Hæreticos lata Gratianus lege repellit.
Barbaries commota locis fera prælia miscet.
Traiecere Istrum gentes, tùm nostra locorum
Inuasere armis latè certare paratæ,
Cæde Lupicini sub ductu affecta Quiritum
Agmina, Ricomerem coniuncto milite secum
Gratianus statuit: victus populator in armis,
Ac cæsus passim, quamuis renouauerit ausus.
Diuus Ephrem fuerat virtute notabilis ipsa,
Hic sermone Syro librorum multa piorum
Edidit, vt populus publicè consueuerit vti.
Expetitur gradibus dum pastoralibus idem,
Se stultum simulat, mox & captare latebras
Sustinet, oblatum munus cauisse laborans,
Non minus, alterius quàm sit per vota petitum:
Exemplar demissi animi, mentisq. modestæ.
Discipulo Paulino vsus fuit: iste rebelle
Cor nactus, licet admonitus contraria versat,
Hæreticosq. fouet sensus. ita sæpe paratum
In procliue hominum frustra reuocasse studebis,
Occubuit paulò post quàm Basilius atris
Concessit fatis, secum iungendus Olympo.
Barbara Gratianum gens oppugnare laborat:
Hos bello cædit contrà commotus, & armis:
At prius instabilem firmat per dogmata mentem
Recta suum, optatis fidei à pastore libellis.
Ergo Valens benè re gesta per bella nepotis,
Traianoq. Duci infensus, qui victus in armis
A Gothicis fuerat populis, nè dedecus olim

Contrahat, armatas rursum eduxisse cateruas
Festinat. Monachoq; Isaac, quia dira minatur,
Frænato verbis, vbi signa, aciesq. suorum
Contulit hostili, viuus post vulnera flammis
Vritur, agrestes profugus delatus in ædes,
Promeritas referés præscripto in funere pœnas.
Hoc ergò extincto sunt corda elata Gothorum.
Sed Diuus Moyses, & Diuus Acholius illos
Tùm fidei studio, tùm lecto milite gentis
Incursus hominum latè repulere malorum.
Cœtū etiam eiectū reuocat Gratianus in Vrbes,
Orthodoxorum conscripta lege piorum.
Sic longo studio quæ sunt firmata Valentis
Defecere, velut si texat aranea telas.
Vnanimes ergò primum remouere laborant
Antiochenæ vrbis quæ prodita schismata. patres,
Conuenere illuc, statuunt vtrunq. duorum
Curauisse pios; vt qui tamen inde superstes
Alterutri fuerit, solus tractaret habenas.
Sex de præcipuis per iuramenta ministris
Ecclesiæ obstricti decreta fouere recepta,
Constituũt fidei normã, quam quisque sequatur.
Millioratores varios componere cœtus,
Vrbis quis Nyssæ, Samosæ qui pastor habetur,
Et Nazianzenus dictus, Meletius idem
Schismatis electus qui Princeps esset ibidem.
Nysseno firmati Arabes: decreta Syrorum
Oppida sunt alij, quæ dicta Seleucia terra est.
Hunc verò ex altis proiecto Arriana fenestris
Occidit terras obeuntem fœmina saxo.
Tertius excoluit reparans felicius Vrbem
Quam Romam dixere Nouã. sed quartus in ipsa
Sede Diœcesis sua munera complet abundè.
Stilitam hic Monachum, qui se per ferrea vinxit
Impositum pilæ, voluit dissoluere nexus;
Virtuti

Virtuti ſatis eſſe ferens ſua vincula veræ.
Obtrectatores Hieronymus, oraq. paſſus
Inuida ſæpe fuit: ſed vicit iniqua virorum
Pectora virtutis ſtudio, Damaſiq. fauore.
Gratiano poſcente capit Theodoſius orbis
Secum ſceptra, exacti hoſtes per bella rebelles,
Germani partim cæſi, partimq. ſubacti
Exorante Deum ſacrarum Antiſtite rerum
Mediolanenſi. mox hæreſis impetus omnis
Lata lege cadit, frænata licentia gentis.
Vrbe noua Roma cum Nazianzenus abundè
Muneris impoſiti iam profeciſſet in actis,
Eligitur publice paſtor. tamen ecce recenti
Maximus inſinuat ſtudio ſe, pellere certus
Sede patrem populi ſacrorum. intruſus ab Vrbe
Reijcitur: dices, Hyppocrita maximus eſto,
Vt fingat latè ſeſe per verba fidelem.
Hunc Nazianzenum bini audiuere docentem,
Ponticus, Hæreticos ſapuit qui poſteà ſenſus;
Ac ſecum edidicit ſacras Hieronymus artes
Eccleſiæ Doctor clariſſimæ Orthodoxæ.
Sic animi ſimiles ſæpe in diuerſa trahuntur.
Nyſſeni Macrina ſoror ſanctiſſima Virgo
Vita functa fuit: quæ nè fortaſſe ſalutis
Signa forent non certa ſuæ, ambiguiue volatus,
Per viſum admonuit fratrem paſſura receſſus.
Vrgetur languore graui Theodoſius artus:
Contractas ergò ſordes ſacra abluit vnda.
Conualuit, legum ſancit complura piarum,
Arrianos damnat, quorum mens aſpera facta eſt.
Inuaſcere pios, quidam per ſaxa necatus.
At Nazianzenum immiſſus Sicarius vltrò
Pro venia exorans mutata mente recedit
Voto intentato veſano cordis, & actu.
Gratiani mater Iuſtina iniuſta fouebat


Arrianos: sectæ eiusdem statuisse laborat
Pastorem Syrmis fautrix. Ambrosius ausis
Occurrendum istis ratus, huic cōcurrit, & arcet.
Fœmina sectatrix, qua contempsisset eundem
Per vestem attractam, luce hac extinguitur ipsa,
Vlciscente Deo stultissima facta puellæ.
Arriani insistunt sibi templa exposcere Diuum:
Exorare nequit gens vesanissima pectus.
Maximus optat adhùc de sede extrudere lectum
Pastorem Nazianzenum; pariterq dolosa
Mente Ducē populi aggressus per multa, fauoris
Aucupium tentasse parat. sed rursus ab Vrbe
Agnitus exigitur, planèq. repellitur idem.
Quàm misere scelerate poli proconsul Eoi
Feste cadis, vani insulsè veneratur Idoli.
Rex Athanaricus Regno detrusus auito
Christiadum Ductorem adijt deposcere rebus
Subsidium afflictis: qui mox exceptus amicè
In funus quasi venisset, fata vltima complet.
Regia honorificis tumulātur membra sepulchris
Eximio cultu pariter, luxuq. superbo,
Seu claris animum Ducis impellentibus actis:
Siue etiam dubia similis formidine sortis,
Dum memor humanos versat sub pectore casus.
Amotum longè rursum expulit Vrsicinum
Romanus Princeps. damnati sæpe fouentes
Hæreticos sensus, tandem de sedibus acti.
Arriani insistunt veteres renouasse furores:
Ergo petunt logi Synodum. consistere visi
Vrbe noua Roma patres: agitata resumpsit
Orthodoxa fides vires: Nicæna reluxit
Forma magis, quin aucta fuit, quà spiritus idem
Dicitur esse Deus Dio cum Patre colendus:
Sicut de Verbo stabilita volumina clamant.



ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER NONVS.





VAE sanctè Synodus quondam est collecta bonorum,
Constantinæa dimitti cępit ab Vrbe:
Quinquaginta inibi, centũq. fuere reperti
Consedisse patres, fidei decernere caussas.
Vix ea complerant, Meletius occidit, à quo
Fluxerat electo populi scissura fidelis,
Lucifero obtinente sibi: legatus Eoas
Paulinum in sedes hominem præfecerat idem.
Paulino occidui cętus fauisse laborant:
Meletium enixè patrijs poscentibus vnum.
Paulinum Nazianzenus, cum fortè superstes
Esset adhuc, instat gentis persistere solum
Pastorem, iuxtà patrum decreta priorum,
Scissuram cupientum aliàs remouere sequutam,
Sufficiunt patrij Flauianum, ipsumq. tuentem
Occiduos Nazianzenum de sede repellunt,
Auersis animis egrè contendere passi
Secum, & facta sequi per rerum exosa Latinos,

Æmula virtutis contrà sua, corda gerentes.
Expuncto Nazianzeno Nectarius extat
Vir probus: at rerum ignarus, iurisq. sacrorum,
Doctorem vt fuerit secum assumpsisse coactus.
Ille vale faciens sese in diuersa recepit:
Tùm publicè sedi per verba extrema remisit
Nuncia, vt æternum in Christo superesse fidelis
Discat Anastasiæ, quas ante dicauerat ædes,
Optato cursu merito, ac pietate perenni.
Edicto hæreticos Templis Theodosius arcet,
Ac sanctè passos vult in sua tecta reduci;
Si quis fortè alijs prædecessisset in oris,
Mittit in Ecclesias, quorum sit cognita virtus,
Cum quibus intereà communio certa sequatur
Tuta bonis, metuenda malis discrimina gentis;
Vt quasi fœdatas fugiant commercia lymphas,
Peruersos homines iusti, sensusq. rebelles.
Iam desertori fidei sublata facultas
Libera testandi fuit, atq. extrema voluntas;
Vt malè corrupti nullus foret æquior actus.
Concilium indictũ est Aquileiæ: Ambrosius illic
Affuit, Hesperij pastor celeberrimus orbis,
Prætérea trigintà alij virtute notandi,
Gallica quos partìm dederat, partim Africa tellus:
Pleriq. Italico fuerant ex orbe coacti:
Tunc Hispani aberãt, qua tempestate reperta est
Priscillĩanæis gens illa imbuta venenis:
Arriani expulsi fuerant: damnata malorum
Pectora, phreneticos referunt per singula sensus.
Ecce duo inferensi fidei deludere certant;
Ambrosium irritant Diuum exposuisse, creatum
Cum verbo æterno nexũ, assũmptamq. sub alueo
Virgineo naturã hominis, quam dicat, vt expers
Personæ humanæ fuerit, quis fluxibus actus?
Seu

Seu ratio formis quaſi perſonalibus obſtet ?
Et quis naturæ quaſi terminus hæſerit auctæ?
Hoc quaſi non poſſet verbis edicier auſi ;
Perſonæ ignari, ac die v rtutis inertes.
Ergò parat feciſſe ſatis ſermone ſalubri,
Tempore compoſito : ſed contempſiſſe parati,
Dùm per luſum equitant, animum exhalaſſe sub armis,
Præcipites d ·iecti ab equis potuere rebellem.
Abſoluit res ipſa virum, caſuſq. fidelem.
Priſcillianiſtæ, modò nè ſecreta retexant;
Quæcunque putes, ſua per periuria cælant,
Virtutis ſtudio ſeruens Idacius obſtat.
Collecta expuitur Synodo damnabilis error.
Incipias reprobos Idaci explodere ſenſus,
Ac ſemen fudiſſe pium, ac ſeruaſſe fideles
Chriſtiadum cœtus iſtic, nè cæde labori.
En erit illa dies, quà verſo Hiſpania cultu
Æmula Romanæ fiat pietatis, & actus.
Ergò etiam ſcriptis agitat corda impia gentis.
Circumeũt Orbem Hæretici peruerſa fouentes:
Inuenere hominem, qui ſe tueretur abundè,
Quippe fauet reprobis Macedonius Aulicus iſtis,
Perturbatq. Pios reſcripto prorſus acerbo.
Hic idem Ambroſio Gratianũ adeunte recluſos
Obduxit poſtes, ne fortè intraret in ædes.
Ergò minas iuxtà profugus lapſurus ab hoſte
Non potuit ſacros peruadere cæcus apertos.
Concilium Romæ legitur, Paulinus ibidem,
Quem contrà ſuffectus erat Flauianus, & vnà
Secum de Cyprijs Epiphanius aſtitit oris.
Hic Romæ Paula tunc hoſpite dicitur vſus;
Diuus & Illuſtres Hieronymus affuit inter,
Mediolanenſis paſtor, clariq. frequentes

Eoi subterfugiunt, caussasq. morandi
Subnectunt, Romamq. nouã concurrere versant.
Declarant Patres Latii, lectiq. piorum;
Ex Petri, Pauliq. obitu firmata perenni
Tempore sub cælo Romæ dignissima sedis,
Oppida primatus Romana tenere sacrorum:
Vt si quis casus, si caussa, actusq. requirat,
Discutiendarum Romana prorsus ab Vrbe
Expectanda tibi fuerit decisio rerum.
Ex vi decreti Paulinus Episcopus auctus
Antiochenæ iterùm pastor disponitur Vrbis.
Paulinum Euagrius post fata extrema sequutus;
Ecce Iouinianus, secumq. Helpidius hostis
Virginitatis adest, portentaq. multa nefandi
Sermonis memorat primus, Diamq. parentem
Virgineum incusat desisse fouere pudorem,
Egregium proprijs animum metitus ab actis:
Censuit idem operũ merita indistincta bonorũ:
Sic eadem quasi perfectæ sint præmia vitæ,
Ac possint differre nihil, qui iusta sequantur;
Actus moralis, vitæq. elementa paratus
Reiecisse animis, quem non trahit ardor honestĩ,
Nec splendor virtutis, & ardua semita recti:
Maior inest pietas, fuerit quoq. gloria dispar.
His ergò Ecclesiæ Infensis Hieronymus obstat
Per scripta immensùm Romæ, penitusq. refellit.
Erga ipsum castè Marcella affecta reperta est,
Marcellæq. parens Albina, & Paula, sororesq.
Ex Paula genitæ, Eustochiũ celeberrima Virgo,
Blesilla, & Ruffina piæ, Paulina, puerq.
Toxotus, de quo iuncto cum coniuge læta
Paula extat iunior: quorum virtute recepit
Albinus Lætæ pater, implacabilis hostis
Ecclesiæ; tandem victus baptisma, fidemque.
Sic

Sic Lea doctorem, Felicita, Asella colebat,
Optauere sibi pariter didicisse paratæ,
Atque explesse sitim cupidæ sua scripta librorũ,
Floruit hois etiam Chrysostomus oris
Intereà, Doctor celebris pietate notandus:
Is vitæ certis dudum sub patribus antè
Perfectæ studio Monachorum exercuit actus.
Maximus huic socius, dignus qui posteà pastor
Extitit, & socius Theodorus Apostata turpis,
Vt quasi manarint vno de fonte liquores
Diuersi, ac fouea quasi Cycnus, & aspis ab vna.
Multa perorabat Chrysostomus: arguit illum,
Vt se posse viri sensus penetrasse negaret,
Fœmina: tunc humili mentem sermone repressit;
Ora nec immerito cæpit post Aurea dici.
Fortè alias mulier clarissima præsidis vxor
Morbo affecta fuit, quibus ipse docebat in oris
Antiochenæ Vrbis: tunc accessere vocati
Marcionitarum sectæ, ritusq. frequentes,
Experti labem detrudere ab artibus atram.
Incassum curasse student, Chrysostomus illam
Ante fores Templi aduectam sacra attigit vnda.
Ergò fugat, (mirum) fœdam de corpore pestem,
Sed magis ex animis Diuina luce renatis
Propterea tenebras, cæcis erroribus actis.
Idem fortè sacro fit charactere decorus,
Vt populos doceat: Diuinitus ergò columba
Euolat interea, vt capiti demissa supersit:
Argumenta pij, ac recti miracula sensus.
His dignas sanxit leges Theodosius annis,
Maximus à socijs latè acclamatus habenas
Suscipit Imperij. secum infestare Britanni,
Galliq. incipiunt populos: Gratianus ab Hunnis
Subsidium exposcit, quos conciliasse laborat.

Indè sibi, iunctosq. vnà permiscet Alanos,
Infensum Imperio cupiens repulisse Tyrannum.
Maximus intereà de sedibus eijcit actas
Armoricorum turmas, statuitq. colonos
Militiæ addictos plures: tùm mittit in Vrbes
E quibus erupit, socias, Regemq. Britannum
Connani Ducis admonitu accersisse puellas
In spem coniugij gentis: delecta iuuentus
Clara puellarum fuit. Ergò Vndena feruntur
Gurgite virgineos seruantia millia flores:
Inuitæ subiere rates: has emicat inter
Vrsula Connano Virgo sponsanda marito
Filia Cornubiæ Dionori nomine Regis.
Fortè procellosis à tempestatibus actæ
Deuenere locos, quos obsedisse repertus
Hunnorum pirata frequens, hortante feroci
Impulsu mentis, pariterq. libidine cœca
Aggressos latè cætus peruadere perstat.
Ergò irritantes animis, ac pectore firmo
Hostiles turmas custodiuisse pudorem
Perpetuum cupidæ, Christo & parere parenti
Cælitus edoctæ, per verba exosa lacessunt
Effrænes irarum animos, turpesq. furores,
Impellente pia sese Duce, & auspice rerum
Vrsula, vt illicitos contrectauisse puderet,
Infandosq. homines, ne fœdaretur honestum.
Illi indignati non respondere petitis
Verba suis, vultus pariter gestare seueros
Per contemptum animi durata fronte rebellis.
Prætereà hostili lectas de gente puellas,
Auersos cæpere sinus discindere ferro,
Virgineosq. auidè turpare licentius artus
Læthali emisso telo, volucriq. sagitta;
Sic sese imbelles manibus rapuere scelestis,
Subuer-

Subuertente Deo raptorum incerta virorum
Consilia, vt duplicis digna prò sorte laboris
Conciperent hilares magnum super aera fluxus.
Vrsula Dux salue, secum saluete sorores
In Christo æternum, quas in meliora vocauit
Fata Deus, superumq. Chori, ne mersa profundo
Corda situ iaceant puris afflatibus orba.
Saluete optandis perfunctæ casibus, vt vos
Fusi pro Christo tollant super astra cruores.
At furor humanos quisnam peruertere cursus?
Quæ ratio immerito persuadere sãguine terras?
Scilicet æternos vobis stat rumpere nexus?
Scilicet vt regnent aliqui felicius, hostes
Nos erimus, nos arma premant, patiamur inulti?
Nos, quibus alterius non stat deludere votis
Et qui respuimus caussis obstare petitis?
Heù quàm dura manent actus post sæcula vestros
Iudicia ò Reges, quorum peruersa voluntas
Sæpius in miseram vulgus miserabile sortem
Pertrahit, vt possint hominum quasi vile recidi
Membra pecus, nullo penitus discrimine terris.
Pontificis summi Gratianus nomina primus,
Vana superstitio quæ nomina detulit ipsi,
Respuit, vt spernenda etiam quis sciret Idola.
Gracchus erat Romæ prætor: deiecit Idolis
Sacratas aras cupiens baptismatis vndas.
Ergò Senatorum cæcissima corda Tyranno
Pertæsa hæc eadem, occultè fauisse laborant.
Maximus ex votis quod cederet istud iniquis
Ambitionis amans, sceleri sua pabula præbet,
Permulcet spe corda virum, mentesq. nefandas.
Traditur intereà letho Gratianus acerbo,
Traditur & fautor, nisi qui se funere perdat.

Gratianum si fortè cupis celebrasse recenti
Carmine, magna subest, nec fictæ copia laudis.
Imperij socium sese addere Maximus optat:
Exploratq. Ducis mentem temerator Eoi:
Spes alit ille hominis dubijs sermonibus vsus,
Arcadium intereà latè declarat habendum
Augustum Imperij assumens in munera natum.
Fortè aliàs Roma Arsenium pertraxerat Vrbe,
Instruxisse auidus pueri per dogmata mentem.
Vapulat Arcadius, mox ergò minatus eidem,
Compulit in vastas profugum secedere syluas,
Hic vbi perpetuo vitæ laudabilis actu
Mercatur meritos patriæ cælestis honores.
Scissuram Ecclesiæ cupidus componere ductor
Constantinæam Hæreticos accersit in Vrbem,
Vt præmolliti verbis sanissima captent:
Sollicitè curam pacis sumpsisse laborans,
Sed verò incassum: quippè excæcata gerentes
Pectora præcipiti lapsu peiora reposcunt
Hæretici, ac penitus corrupti mente resistunt.
Saccophori eiecti, retegit Flauianus iniquos:
Hos inter dignos promisit Adelphius actus;
Sed quoniam ficto procedere creditus astu,
Nequaquàm in pacē accipitur, sortemq. benignā.
Sæpe impunitos videas nocuisse reatus,
Et faciles noxarum aditus; veniæq. colores
Offudisse gregi tenebras, quò serperet error.
Suspectos ergò possis habuisse scelestos,
Si dubiæ secum adfuerit renouatio vitæ.
Symmachus optat adhùc delubra fouere Deorū
Præfectus Romæ: sed contrà Ambrosius obstat,
Exoratq. Ducem Occiduum: Prudentius audet
Carmine in infandum voces aptare paratas
Præterea, vt caueat sensus temerasse piorum.

Cæcus

Cæcus erat, ſigno Crucis amouiſſe tenebras
Viuus adhuc Damaſus, mox functi corpora vita,
Vitaliq. aura poſſunt languore frequenti
Morbida debilium membra expurgaſſe virorum:
Quondam etiam elapſum infantem in baptiſmatis vndas
Effuſis Domino precibus, votisq. modeſtis
Incolumem extraxit, cum protinus ima petiſſet.
Fœmina clara fuit, Monicham dixere propinqui,
Natales retulit veterem in Carthaginis Vrbem,
Patrīcio coniuncta eadem noua nupta marito:
Ethnicus ille prius Monicæ pietate docentis,
Conſilijsq. olim præcepta fidelia poſcit.
Auguſtinum iſthæc genuit, quem contigit eſſe
Hæreticum ſecta iuuenem: ſed feruidus acri
Ingenio doctrinam omnem ſcrutatus abundè,
Prætereà Matris ſe per diuerſa ſequentis
Regna piæ ſtudio, ac lachrymis felicibus actus,
Tandem Orthodoxū excepit per viſcera ſenſum.
Tu Frontoni audes eſcas ſperaſſe ſub antris
Cælitus, vt fratrum ceſſent commota tuorum
Murmura, ſperatæ veniunt per tempora fruges.
Perfectæ vitæ ſtudio Martine repellis
Dona propinquorum, votis nec flecteris vllis;
Simplicitas Monachos tutatur ab aſpide binos:
Huic lupa facta comes, ſæua illi facta leæna;
Prima ſibi victum, at natis rogat altera viſum,
Exoratq. ſuis; alium læthalibus antè
Corpora depactum Diuinitus edocet herbas
Bellua, quò morbos fuget, elegiſſe ſalubres:
Cernere paſtorem licuit, ſermone fideli
Paſcentem, quicunque velit, pueroq. ſalutis
Munera geſtantem votis ſuper æthera fuſis.
Hos inter Monachum mirabere Neſtora mitem,

Dum

Dùm per contemptum similem se credit asello.
Obruta speluncis degit pia fœmina cœcis
Virtutis studio, vitaq. reperta recedit;
Excubias cura Numen seruantis honestum,
Vt metas felix teneat per dura petitas.
Bessariona virum resoluta paralysis, & qui
Dæmonis arreptus quondam cũ fraudibus esset.
Postea fit liber, celebrandum in tempora reddit.
Tu Pemis in sensus animi reuocasse modestos,
Actibus humanis potes, ac vicisse superbum:
Tu tectis arcere tuis illustria gentis
Corpora, nè fastu carpi contingeret alto
Pectora, contempto latè discrimine contrà
Affini in puero mortem minitantis acerbam.
Vos mihi Laurenti, Felix, Theodore, Ioannes,
Gregorio, ac Stephano iuncti, Petroq. canendi:
Qui fidei ex odio cæsi cecidisse potestis.
Te raptum in superos video Syluane receptus,
Non ex iudicijs hominum, sensuq. malorum
Discretos meritorum actus, at præmia nosse.
Ecce Ducem aligerum nactus diuinitus esca
Firmaris Zeno, repetisq. beatius ædes;
Discipulum Sisoi vexatum dæmone corpus,
Incolumem precibus reddis, seruasq. maligno.
Præsul erat, pœnas metuens, succendit iniquè
Thura Dijs: facti dum pœnitet, ardua duræ
Speluncas adiens sequitur vestigia vitæ,
Quinquaginta annis cursum laudabilis actus
Exercens, & longa diù ieiunia passus,
Signa piæ mentis, tandem concessit Olympo.
Metitur delapsus iter cælestibus ales
Distantem vndarũ ex causa gradientis in oram,
Vt pergat vexare artus per plura laborum.
Quis verbis exempla notet per singula rerum?
Seu

Seu quis virtutes valeat memoraſſe piorum?
Exercent alios morbi, pariterq. miniſtri
Accedunt ſuperi: patientia vincit in illis
Dura luem immeritam, peruerſa procacia vexat
Accuſatum alios, ſe per ieiunia torquent;
Nec dulces capiunt ſomnos, & verbera membris
Inſligunt plures, taciturna ſilentia linguæ
Hos lapſu reuocant; oculos domuere vagantes,
Ne ruerent, alij corruptæ incendia vitæ
Extinguunt, multi in melius procurrere certi,
Ocia vitantes, frænis inhibere parati,
Dùm ſeu ſacra legunt, ſeu ſe famulatibus arctant;
Sic quaſi per ſpinas quidam ſepire laborant
Sermonum cupidas aures, nè turpiter errent:
Neù mens diffuſa in partes malè fluctuet æſtu.
Curarum intereà contempta pecunia gratis:
Diuitiæq. iſtos reprobis à nexibus arcent.
Innumeri pariter ſe ſubiectare docentum
Seruitjs gaudent, quò preſſa ſuperbia rerum
Dediſcat vanos extollere in impia ſenſus.
Quippe aſſueta pijs mens actibus, ipſa libenti
Vt cura expoſcat, quæ non præcepta fuerunt,
Difficile fluat in curſus laxata ſceleſtos;
Nec ferat in turpes præmiſſa occaſio fines,
Infandoſve trahat conceſſa licentia in vſus,
Immerito nixu, penituſq. rebellibus auſis
Ætherei quondam leges oblita parentis.
Perfuncto vita Damaſo Siricius orbis
A Clero Paſtor legitur ſufficctus eidem,
Vt tamen interea vix Vrſicinus ab Vrbe
Schiſmaticos geſtans animos, iraſq. furentes
Exturbari iterum poſſit, frangiq. tumultus.
Tunc Paula abſceſſit cunabula viſere Chriſti,
Mota tuis animo Diue ò Hieronyme verbis,


Et mota exemplis, forma & virtutis amica,
Contemptu rerum sese conmitante suarum.
Filiolo pariter pius est Theodosius auctus:
Nomen filioli surgentis Honorius esto.
Iam Nazianzeni dictis Nectarius vrbis
Constantinææ Pastor, prætorq. modestis
In dignos reuocari actus, curamq. videntur.
Priscillianistæ duro sub verberis ictu
Deperiere rei scelerum: nam Maximus ardet
Perdere peruersos ciues, fideiq. rebelles.
Is cum principibus noua fœdera pacis iniuit:
Perdere sed secum feruens Idacius instat.
Orthodoxorum cœtus rescinditur vltrò:
Arguitur multis Idacius aspera quærens
Priscillianistis læthali funera ferro,
Cum citrà mortem fuerit, citràq. cruorem
Pastore à sacro terrena roganda potestas.
Martinus refugit commercia, Maximus vrget,
Consensisse homini, ni, prò quibus orat eundem.
Gratiani quondàm asseclas velit ense recidi.
Vile ministerium sensu complexa modesto,
Martino coniux est ancillata sedenti:
Pręficiendus erat populis quōdam inclytus Ammon:
Oderat ille gradus sensu impellente modesto.
Ergò, nè præsit, sibi certius abscidit aures,
Corporibus quæ mēbra decus concessa tulerunt.
Contempsere illud populi, Pastorq. locorum,
Vt solum rationē animi, ac probitatis haberent.
Felices Ciues, felicia mœnia sunto,
Quæ iusti potuere viri curasse labores.
Quò ruitis gentes? quò vos trahit aspera fluxu
Ambitio nimio? quid tantùm in munera cursus
Flectitis? & solij discrimina certa superbi

Tenta-

Tentatis? ſic veſtra ſalus? ſic commoda curæ?
Inuida ſublimes obſcedit turba receſſus.
Pauperiem geſta iſta notant, qui ditior eſto,
In ſe conuerſo reperit ſua gaudia vultu;
Qui ſacrum excelſis gradibus præcedere cœtum
Ambit, vt indignus cœtu pellendus ab ipſo eſt.
Flacilla Auguſta excellit vitalibus auris
Fœmina, quæ ſanæ fidei dictamina fouit,
Vile miniſterium ſenſu amplexata modeſto,
Vt miſeros ægrorum animos curaret, & artus.
Impulit hæc eadẽ quæcunque in digna maritũ.
Iuſtinæ ſuaſu matris contraria verſat
Occiduus princeps, Arriana fouere paratus:
Tanti momenti mulier cenſenda videtur
Vtranque in partem, dubios vt ponderis axes
In quoſcunque velit, poſſit conuertere flexus.
Flacilla extincta Gallam Theodoſius optat.
Occiduus ductor Gratiani frater iniquum
Edictum in populos proferre laborat, vt ipſis
Arrianis faueat, Ruffinus fortè rogatur
Scribere conceptos iuxta ſua vota furores.
Ille Deum metuens, Chriſtoq. infenſa recuſans,
Corda pati, pariterq. animos geſtare nefandos,
Aut pectus temerare, ac menti inferre reatus,
Atque etiam oblatos rerum aſpernatus honores,
Cingulaq. abijciens vltro, quibus hactenus vſus
Ante foret meriti ex cauſa, placitiq. fauoris:
Immenſum renuiſſe audet, ſecumque reſiſtit,
Si ſit opus, læthum ſubijſſe paratus acerbum,
Proptereà, & quoſuis pariter perferre labores;
Magnanimo nixu cauſam execratus iniquam.
I nunc, & pectus vanis affectibus imple;
Si mala concurrant, latè pelletur honeſtum.
Pectora pura mihi ſunto, nulliq. fauores,

Si fauor oppositus mihi pectora pura repellat,
Inquit, vt accedat puri quasi pectoris hostis:
O felicem animum, ò verum pietatis amantem.
Iustina Arriana quondam impellente lacessit
Mediolanensem Pastorem Auxentius acris
Imperij, Arrianæ fidei, sensusq. minister.
Disseruisse auidus coram impietatis alumnis,
Ignaris rerum, doctrinarumq. piarum,
Dogmata proponens, quorum præclarior vsus
Esset in ecclesijs, certus contemnere causam
Orthodoxorum æquiuoci sermone latentis,
Fallaciq. errore artis per vana procacis
Verba ipsam veri speciem, formamq. tegentis.
Mediolanensis iuxtà præscripta piorum
Sustentaturus fidei certamina Pastor,
Perfidiæ arbitrio nè deferrentur iniquo
Pondera tantarum rerum, neù forte daretur
Indignè canibus latrandi occasio dictis,
Neù circumueniant astu fallente scelesti:
Prouocat ex Aula in Templi descendere campũ,
Vt vocem, ac sensum excipiant virtutis amantes
Disceptantum inter sese per verba virorum.
Hæc placuit meriti cultus reuerentia Christo,
Vt reprobi carpant: ergo dùm disserit idem,
Et quidam falsi defensor dogmatis astat,
Visus ad illius voces dictasse sequutas
Aliger è superis aures, reuocata maligni
Tunc fuit impietas, abiurataeq. tenebræ.
Non tamen audaces Auxentius abijcit ausus,
Deducente Deo causarum ex nexibus actus
Proficuos menti vnius, lateq. salubres.
Dum tamen in peius multi per tempora lapsi
Contrà sæpe ruunt liberrima corda gerentes,
Discreti à Christi meritis, ac munere Diuum.

ECCLE-



ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER DECIMVS.





Æpe per aduersos casus extollere Christo
Mens fuit è iustis aliquem exercere paratus,
Dum reprobi opponunt se per conamina rerum,
Opportuna ferens animo, viresq. ministrans.
Ac veluti si frigus obit tua corpora circum
Commoto latè rigido spiramine contra:
Tum verò calidus vapor exhalasse per artus
Obstructos vetitus, flammasq. effundere in auras,
Obsessum penitus quoniam se nouit abundè:
Vndiq. collectis, & conspirantibus vnam
In sedem rapidis afflatibus, auxerit æstus,
Conceptam intendens iuncto feruore fauillam:
Vt quasi repenti sese tueatur ab hoste.
Sic fidei sanæ populus, sic iustus alumnus
Obiectos ausus patiens, actusq. malorum
Peruigili curæ studio, pariterq. reflexo
Circuitu mentis causas addensat amicas,
Conatum hostilem quòd reddere certet inanem.

Ergo

Ergo Iuſtinæ nixu certante ſeuero
Mota ſceleſtorum fuit ira indigna virorum:
Mediolanenſem de cœtu extrudere patrem,
Promiſſiq. gradus raptoribus, vt ſua longè
Corpora in exilium aſportent. Euthymius vltro
Conductis propiùs domibus, curruq. parato
Abſtraxiſſe virum ſtuduit, ſpe fretus iniqua
Fallendi ciues, ſubuertendiq. fideles.
Sed vero ſupero ſic diſponente Senatu,
Ipſemet abripitur curru ſubuectus eodem.
Edictum interea publicè proponitur, in quo
Præceptum ſacro iuſtos abſcedere templo,
Vt reprobi ſubeant cultum exercere prophanū,
Siue repugnantes ſtricto mucrone necari.
Hic verò populo metuente Ambroſius obſtat,
Intrepidus pœnas, mortemq. obijſſe paratus:
Cedere ſponte loco ſe nolle edicit, vt ædes
Diuinas prodat, nec vaſa; monetq. Tyrannum
Abſtinuiſſe ſacris, ac non temeraſſe piorum
Conuentus, Templumq. Dei, ſedeſq. verendas.
Ecce autem immiſſi ferro terrere minaci
Incipiunt plures, atque inuaſiſſe laborant
Paſtorem gentes certi contendere contra:
Cum verſi in meliora animi ſua vota, preceſq.
Effudere Deo ſecum diuinitus acti,
Chriſtiadumq. inibi moti pietate frequenti.
Calligonus quidam ſpado vexauit eundem
Iniuſtè exagitans, ac verba ferocia miſcens:
Qui cecidit facto ſcelerum conuictus aperto.
Non tamen ardentes poſuit Iuſtina furores,
Vt facilem impellat quæcumque in perfida natū:
Nec ſecū haud animis certans Auxentius ægris.
Maximus occiduū Ductorem his terret ab actis,
Sollicitatq. pios vnà fouiſſe fideles.

At

At Deus infandos ausus, menteſq. ſuperbas
Depreſſiſſe parat, famuliq. extollere cauſam.
Ambroſio Geruaſij artus, pariterq. Protaſij
Cælitus oſtenſi,& quondam tumulata ſepulchris
Corpora Sanctorum occulta ſub ſede latentum.
Effodére ſacros cineres collecta piorum
Agmina concurſu facto, miracula dudum
Nota prius facili, ac nullo renouata labore,
Seu quoniam adfuerint, ſeu quòd contingere curent.
Cœcus erat tota per quàm notiſſimus vrbe:
Is viſum ad tactum recipit. ſanantur abundè
Morbida membra hominum; ſtygijs obſeſſa cateruis,
Incurſu nequam, atque inferna peſte leuantur.
Ergo totius populi celebrata feruntur
Obſequijs, lætamq ſonat fauor vndiq. laudem.
Sic obſiſtentis rabies ſedata furoris,
Sic auſus ceſſere mali, motiq. tumultus.
Deriſere tamen Diuina hæc munera verbis
Iuſtinæ famuli, certi contemnere ſecum.
Perſequitur publicè Ambroſium ſicarius vltrò
Iuſtinæ aggreſſum impulſu. verum impia tactu
Dextera contrahitur, donec ſcelerata retexit
Corda reluctantis contra cæleſtia mentis,
Auctricemq. ream ſceleris, pectuſq. nefandum.
Quin etiam, latè dum torqueretur aruſpex
Iudicis ad nutum quidam, ſeſe alite clamat
Ambroſij magis affligi: quippe, inquit, abundè,
Cum quondam Ambroſium auderem per dæmona miſſum
Tollere de medio inſectans, mihi rettulit idem:
Offendi non poſſe virum, ſeſeq. fugatum
Nequaquam in ſedes potuiſſe intrare petitas,

Flam-

Flammæ munitas nimio feruore voracis.
Ecce autē Ambrosio monitū Domnine laboras
Prodere Ductorem occiduum: quia Maximus
vrget
Muneribus quondam legatum fallere verbo,
Et facto, tandemq. fuga. tu cogis eundem
Consuluisse sibi, ac reprobæ per vela parenti.
Oppida concurrunt celeri sub Thessala gressum,
Iudicium vt Domini sensu cognoscere possent.
Hic inuadentem Imperium, & fera bella mo-
uentem
Italia abstinuisse rogat. de pace rogantem
Incautum penè oppressit: Theodosius armis
Tutatur socium, doctumq. recedere suadet
Sensibus hæreticis iuuenem: namq. inquit, apertè
Te Numen foueam curarum iniecit in istam,
Propterea, vt tandē ex animo resipiscere discas,
Maternos mores tecum auersatus, & actus.
Creditur in sanam frugem remeasse vocatus.
Maximus interea quos contra obstare videret,
Immisso exagitat sæuis terrore sub armis,
Affectos & clade necat: multa oppida gentis
Italiæ direpta, & diruta multa fuerunt,
Vt tamen Ambrosio cautum, populoq. fideli,
Mediolanensi propter se vellet abundè,
Quamquam etiam monuisse hominem non de-
stitet idem
Succisi quondam Domini plorasse reatus.
Captiuos pariter sacra mercede redemit.
Romæ Præfectum coniux Melania Christo
Pinianum reuocat, Christum fouisse docendo.
Antiochenæ vrbis ciues, quia dura moleste
Pondera militiæ ferrent, iussumq. tributum,
Deiecere loco Flacillæ signa, suiq.

Prin-

Principis, vt princeps vlcisci indigna pararet
Gesta hominum immisso lictore, ac iudice rerũ
Certo tantarum. Flauianus præsul ibidem
Constantinæam accedit Legatus in vrbem.
Interea iratos exorauere ministros
Diffusi circa Monachi, suspendere causam,
Concursu facto, fraterno prorsus amore
Impulsi, vt iustos etiam differre reatus
Diligerent, donec legatio missa rediret.
Obtinuit præsul, facilis. sua verba sequutus
Dux fuit, humano didicit contendere sensu.
Et iam conatu ingenti Theodosius arma
Dura parat, bellumq. agitat. collecta iuuentus,
Vndiq. felices visa est portendere cursus.
At non propterea Diuini Numinis idem
Non implorat opem, aut famulos contemnit amicos
Numinis ipsius: quin & reuerentius egit
Præsidium per vota rogans, sortemq. benignam.
Præcipuè monachum clara virtute Ioannem
Consuluit, auerso sibi ne contingeret olim
Decertare Deo, quem conciliasse studeret.
Multis è Monachis Senuphius ecce rogatur
Aduentasse vrbem: cuius feruentior ausus
Pectoribus diæ fidei permisceat æstus,
Vt certent animis in vulnera dira citatis
Agmina militiæ gentis, quippe ardua terris
Contempsisse nihil dubiæ discrimina mortis
Relligione solet magis, aut surgente Beatis
In domibus vita, aut sperato Numine secum.
Ille sed immisso baculo cum veste suorum
Armauisse Ducem fertur, quo protinus audax
Effectus tentaret iter per tela, per hostes
Diuinæ subnixus opi, victorq. fugaret

Aggres-

Aggressum Imperij fines, populumq. rebellem.
Bellatum est Sciscia, superat Theodosius hostē,
Insequiturq. diù, donec cogente reatu,
Cum profugus miserè multas peruaderet vrbes,
Militiæ à socijs Aquileia est captus in vrbe,
Et cadit hostilis truncatus acumine ferri.
Tu sortem humanam, & casus cognosce notatos,
Nè ruat in præceps fastu malè rapta superbo
Mens tua, & incipias cessis malè sensibus vti.
Dicitur aspectu primo miserabilis hostis,
In faciles flexisse animum Theodosius actus:
At Ducis abstractus famulis sua funera passus:
Ingenuæ secum tanta est constantia mentis,
Vt satis esse sibi rerum victoria possit,
Crudeli contra victo insultare parato.
Imperium socio rursus concessit ademptum,
Libera seruitio Regni quò pectora monstret.
Quidam missus erat victori offerre futuro
Vrbe ab Alexandri quę dicta est nomine Magni,
Munera. detecta re tota aufugit in vrbes
Legatus patrias, nè iustas Principis iras
Sentiat, incertos flexisse repertus in actus,
Ac neutras animū in partes, vtrumque sequutus.
Constantinæam vulgata est fama per vrbem
Castra sui fusa esse Ducis, vicisse Tyrannum.
Arriani furere incipiunt, pastoris iniquè
Incendére domos. sed mox, vbi cognita res est,
Dura per Arcadium mortis discrimina pellunt.
Pulchra fuit mulier, mulier ditissima rerum,
Inclyta præclaræ splendore propaginis aucto:
Nomine Olympiadem patrij dixere vocatam.
Hæc ex Nebridio coniux iuniore relicta est:
Elpidio nupsisse iterum Theodosius optat,
Cognato viduam. constanti voce iugales
Illa

Illa faces primis penitus contenta recuſat:
Elpidius viciſſe auidus vexaſſe laborat,
Sollicitatq. thoris animum flexiſſe rebellem.
Eous tandem princeps decreuit eandem
Libertate frui, ac ſecum vixiſſe modeſtè.
Ergò genus vitæ durum amplexata miniſtrat
In Templis, ac dona dedit celeberrima genti.
Celitùs infuſi iam luminis hauſerat imbrem,
Erranteſq. animos reiecerat Auguſtinus,
Vitaliq ſuum pectus renouauerat vnda;
Alipiuſq. vnà ſocius, ſua germina natus,
Quem traheret ſecū: geſtorū Ambroſius author
Extitit, vt capto veluti per retia piſce
Ditarit cætus per ſæcla futura fideles.
Ergò Auguſtinus nobis monumenta reliquit
Clara nimis, magno quæ non indigna labora,
Ingenioq. putes, ſcripta optatiſſima terris.
Occiduis dum degit adhuc Theodoſius oris,
Iudæis Templum quidam incendère piorum,
Vlciſci cupidi inſultus, rixaſq. recentes.
Certior is factus, paſtori gentis,& Vrbis
Imponit renouaſſe ſuis è ſumptibus ædes:
Sic quoniam impulſu ipſius ferrentur aduſtæ;
Eoi fuerant: Ambroſius ergò rogatur
Pro cauſſa oppoſitis ſecum intercedere votis,
Enixè curat ducis interuertere mentem.
Vix tandem obtinuit reſcripta reuellere rerum:
Exorat pariter precibus vaniſſima tolli
Phana Deæ, quæ dicta fuit victoria Romæ.
Schiſmatici quidam extorquēt reſcripta fauoris
A Duce: ſed monitus reuocat,quę iuſſa fuiſſent.
Chriſtiadas ſcripto fouère volumine multi,
Palladium exceptis Galatam ſermonibus vſum
Fingentemq. pios, quorum peruerſa voluntas,

Dogmata Origenei quidam retulere vomentem.
Tempus obit Monicha extremum, cœlestibus hærens.
Rus Augustinus cum fortè retexeret, Vrbes
In patrias conuersus iter, concessit auitum:
Hic vbi Heremitæ mores imitatur, & actus,
Effusis Domino precibus ieiunia miscet,
Incutiens vltrò durissima verbera membris.
Iam Nazianzenus superas decessit in oras
Corpore deposito terris, expertus apertos
Et sensus fœdi insultus, pariterq virorum
Aduersantum animos fallaci corde prementum.
Condidit extremum constans & mentis,& actus
Testamentum aliàs, sua quo concessit egenis.
Symmachus effectus reus est, quia Maximus antè
Laudibus illius sublatus ad astra fuisset:
Exorat veniam; sacras dum accurrit ad aras,
Mox quia restitui delubra prophana reposcit,
Plectitur exilio. Tunc expurgata frequenti
Colluuie scelerum fuit vrbs Romana malorum.
Princeps Imperij Romana in sede triumphat.
Decreta est Capuæ Synodus, firmatur ibidem
Sensus Virginei Dia in genitrice pudoris:
Hic vbi blasphemi impietas reprobata Bonosi,
Composita est pariter, quia nam Siricius instat,
Antiochenæ vrbis, quæ pertractata fuisset
Sæpe prius scissura, vt pastor vterque sequaces
Obtineat, quasi bina forent vna oppida gentis.
Euagrio extincto nullus suffectus, vt olim
Currere Flauiano posset communio soli,
Interdum prosit nimium repulisse rigorem
In populis, nè damna animi peiora resurgant.
Serapidi sacrata Deæ delubra putatæ
Extabant Ægyptiacis clarissima Regnis:
Imperat

Imperat excidium princeps; euersio fluxit
Funditùs, excidium pariter videre sequutum
Oppida terrarum complura, & fracta Deorum
Vanorum simulachra locis erecta superbis;
Vt multi fuerint iustorum è sorte necati,
Hoc quia restiterit duro gens Ethnica sensu.
Tradidit ex leuibus caussis, minimoq. reatu
Thessaliæ Ciuis præfectum in funera quendam
Seditionem agitans, cæcisq. furoribus hærens:
Pastores veniam exposcunt, Theodosius vltro
Concessit, facili natura, ac moribus æquis:
Nobilium cætu tamen impellente recessit
Consilijs, sensuq. animi per gesta modesti:
Quippe, aiunt, tolerata alias incuria gentis
Postea maiori reserat lata ostia damno,
Vt nimium excurrant rerum impunita malarũ,
Ac noceat Regnis seruandæ incuria legis.
Ergò præcipiti lapsu, iussuq. seuero
Corpora plura neci dátur, quorum inscia noxæ
Pectora, quæ numero fuerint quasi millia septẽ:
Tantas ira animis solet offudisse tenebras,
Inque bonis radix sæpe est tàm praua putatis.
Qui tibi blandiris quasi iussa sequaris honesti,
Iam metuisse potes, nè non pietatis in actus
Iustitiæ studio, aut virtute vrgente traharis,
Sed rerum terrenus amor tua pectora vincat;
Sanctus amor noxas, vitiumq́. repellit iniquum,
Vt penitus renuat vitæ commercia nequam.
Ergò responsis Ambrosius acribus instat
Ingressu Ecclesiæ ductorem arcere cruentum:
Sanguine Christiadum, lapso deflenda reatus
Crimina proponens iuxtà præscripta piorum,
Ac iuxtà sacrum noua per decreta Senatum.
His ergo acceptis perculsus pectore princeps

Deponit fastus, maiestatemq. seueris
Cæsaream Imperijs non submisisse recusat:
Pœnituit publicè, quod publica scandala poscũt,
Vt recipi posset iustæ in commercia gentis;
Lata lege etiam, nè posthàc amplius esset
Cædere fas quenquam, si non transacta dierum
Tempora triginta fuerint, iterùmq. nouetur
Præceptum, subiti vt careant inopina furoris
Robore, nec quisquam violentæ funera mortis
Ex caussa quacumq. ferat suprema malorum.
Disce pios animos, si quis pietatis amator
Esse velis secum; quod si sua crimina quondam
Offendère tuas aures, si scandala rerum,
Posteà quæ sequitur fidei patientia, & actus;
Pectoris illa tibi fuerint exempla modesti.
Hinc procul este canes, hinc pessima corda virorum,
Qui malè respuitis toto manantia cœlo
Dona, irridentes hæc sacramenta bonorum.
Quæsierit fortasse aliquis, quo robore fretus
Libertatem animi in tantam processerit idem
Pastor, vt è cætu iusto sit fortius ausus
Terrarumq. Ducem, ac Dominum amouisse supremum.
Scilicet humanos didicit qui temnere casus,
Et qui diuitias animi secum æstimat vnas,
Perpetuum vitæ poterit seruasse rigorem,
Nè premat elatus miserandæ sortis alumnos,
Seu turpi metuens deseruiat ore potenti.
Fœmina, quæ iuncto diuortia fortè marito
Fecerat, alterius copulata amplexibus hæsit,
Indignè: hoc vita functo, spectante Quiritum
Cætu, supposuit publico sua colla rubori;
Exemplar quondã sceleris, modò facta pudoris.

Bini

Bini Persarum doctrina, opibusq. notandis
Accessere viri Ambrosium peruisere Diuum,
Secum vt differerent; mirati singula rerum
Dictarum, in patrios tandem rediere recessus.
Ecce Iouinianus falso connubia sensu,
Ac thalamos ausu potis est insulsa scelesto
Virgineis æquare choris per scripta iugales,
Vt retrahat cultu vitæ melioris, & actu
Perfecto erectas præclara in dona puellas.
Hinc Augustinus, secumq. Hieronymus vnà
Sanis consilijs, scriptoq. volumine contrà
Oppugnare student; certamina digna parantur,
Confodère hominem verbis; non irrita cessit
Conatus vis tota pij; depressa recentis
Ex ex parte aliqua rabies vesana furoris.
Hæresis idem author Roma damnatur in vrbe,
Damnaturq. tuis Ambrosi pastor in oris;
Collectæ Synodi studijs, ac lege seuera,
Damnantur socij pariter; tandemq. repulsi
Seruili pœna mulctato authore malorum.
O mentem impuram donis cœlestibus orbam.
Quis neget authori rerum, superùmq. parenti
Intactos thalamos? connubia iusta probari?
Seu quà rerum author? seu quà seruator habetur?
Vt possint etiam fructus proferre salutis?
Attamen hæc vitæ fuerint elementa receptæ:
Corporis integritas hominem illibata decoret,
Incorrupta velut cedrus, seu flosculus esto
Nunquam marcescens, semperq. virentis oliuæ
Ramus, & æternos quasi balsama fundet odores:
Hic quasi concentus dulci canet ore perennes,
Ex quodam defectu aliqui permissa reposcunt,
Alituum similes alij perfecta sequuntur;
Totus erit Christi, qui se per membra sacrabit

Casta Deo, vt nullas adimat diuisio partes.
Galla Augusta perit Galla iuniore relicta.
Iam vetita edicto connubia sobrinarum:
Fœmina nobilior, quæ Diaconissa fuisset
Vrbe noua Roma fragili decepta reatu
Diacono copulata viro est, operata nefandè,
Quem pariter ditasse bonis corrupta refertur:
Ergò presbytero, sic impellente retexit
Diaconissa scelus: mouit Nectarius ipsum
Presbyterum gradibus, quia nam imprudentius egit,
Ne fortè in morem factorum exempla prophanũ
Pertraheres, arcana animi obsignata latentis
Diuino iussu, publica vt quasi voce tubarum
Exprimeres, fugerentq. alij medicamina vitæ.
O, tibi si primæ sedeat non cedere noxæ,
Si primos actus nullo fœdasse reatu,
Scandala quò fugias, ac turpia semina rerum,
Vel nulla in terris, vel parua incommoda ferres.
Obdurata gerit pro cultu corda prophano
Symmachus; externas Roma relegatur in oras
Propterea, vt vitent concepti damna furoris
Christiadæ, ac nullos per gesta rebellia lædat:
Quippe potens rerũ, & cura, ingenioq. gerendis
Solerti in causis fuerat: sic pectora falli
Prærudium poterant, diuinaq. gloria labem
In Regnis ferre vnius contempta superbi
Stultis consilijs, cuius reuerentia maior,
Quam decet, in populis esset, caligine rerum
Mentibus offusa. Caueas discedere recto
Cuiusquam eximijs opibus, fastuq. retractus,
Quicumq. æthereis animum conuerteris oris,
Christiadis actus perfectio regula vitæ est.
Permittit persæpe Deus, quasi laxet habenas,
Com-

Commoda cōcedens reprobis, latósq. bonorum
Terrenorum vsus, quò corda probētur amantis,
Externis rerum non decipienda figuris.
Symmachus intereà patriam reuocatur in vrbē,
Nè fortè exilio commotus in aspera sedes
Misceat Italiæ sese abscedente propinquas,
Queis prius humanis opibus, fastuq. potenti
Fretus, & Imperio labes importet acerbas:
Quippe solet mens icta malis, assueta superbis,
Instabilis fieri, vt præceps peiora sequatur
Cum quasi maiorem nequeat metuisse ruinam,
Desperata gerens sua corda, animosq. furentes.
Sic varijs impulsa affectibus irrita reddit,
Quæ prius optarat, contraria facta reposcens,
Arbitrium casu fingens, dubioq. rotatu
Incertæ caussæ, stabili non tramite recti.
Eous ductor cum peruenisset in vrbem
Constantinæam, sacra quadam æde dicata
Baptistæ Diuo, quam tunc extruxerat amplam,
Truncatum eiusdem caput, Ermedieq. repertum
Inuehit, hæreticis iterum de sedibus actis.
Augustinus erat, quem fortè Valerius optat
Hipponæ pastor, quas Aphrica continet vrbes,
Per sacros ritus publicis sociasse ministris,
Presbyterū instituens. Voti fit compos abundè;
In sortem excipitur cœtu seniore virorum,
Concurrente pari studio; mox ille probato
Secessu, fratres, quorum laudabilis esset
Vita, actusq. legit, rebus communiter vsus,
Fœdus Apostolicum vt renouet, normamq́ue vetustam:
Tùm iussu vrgenti patris pastoris ibidem
Semina diuini cœpit diffundere verbi:
Cum reprobis certamen init, sociumq. fidelem

Fecit honoratum scripto sermone reuincens.
Aurelius pastor Carthagine in Vrbe sedebat:
Hic Augustino dixit per scripta salutem;
Contrà Augustinus studio commotus alendæ
Virtutis certo, hortatur consurgere in vsus
Peruersos, queis Regna Dei subiecta videret
Quorundam ob mores, ac facta indigna virorũ.
Obtinuit potus, escasq. abolere prophanas
Sanctorum in domibus, dum mystica sacra nouantur,
Pro vita functis, quibus expurgatio ab actis
Maior opus fuerit, sunt vota, precesq. retentæ.
Hæc inter præstans virtute Epiphanius audet
Dissensu magno tecum certare Ioannes,
Qui Solymæ tunc pastor eras, tecumq. refellit
Ruffinum, atq. alios, quos quædam vt semina nosset
Spargere Origenei concepta venena libellis.
O infelicem, tenebris qui voluitur, orbem.
Symmachus insanos ritus, cultusq. reposcit,
Sed negat occiduus ductor meliora sequutus,
Vt sapere in pœnis possit didicisse videri.
Ecce idem sacro baptismate lotus, & vnda
Purgatur tandem contractis sordibus antè,
Ambrosij cura Diui, studioq. parentis.
Tunc Comes insidijs hunc Arbogastes, & astu
Extinguit, corpus cæsum sublimè pependit:
Dedecus hoc patitur: nè tu te fortè putares
Omnem semota culpa effugisse reatum,
Cum fecisse satis quondam per scandala læsis
Publica debueris iuxtà decreta Tonantis;
Iustitiæ stabilis seruetur vt ordo receptæ,
Nec Deus incassum Rector credatur Olympi:
Ergò timè, ac sanctum numen reuerenter adora.

Euge-

Eugenium quendam Comes Arbogastes in altas
Euehit Imperij sedes, qui pacis habendas
Iungere amicitias cum sospite Principe misit,
Exclusa pacis tota spe consulit, hostis
Ecclesiæ factus casus per bella futuri
Flauianum vatem falsum, qui viscera spectet,
Syderaq. obseruet cœlo lapsura sereno,
Tantarum vt sortem discat prænoscere rerum,
Si fieri possit, delusus imagine veri.
Ergò fallacis dicti spe plenus inani
Arma parat contra, tùm diruta templa Dearum
Restitui Arbogaste iubet, secumq petente
Insulso rerum Flauiano vate malarum.
Eugenij auditis gestis, Ambrosius Vrbem
Deserit euitans reprobæ commercia mentis,
Ac Florentinos profugus secedit in oras,
Hinc per scripta monet, pariterq. redarguit vltrò
Eugenium contrà cœlestia sacra furentem;
Hic dicat extructas Iulianæ sumptibus ædes,
Martyris Agricolæ sacris quas ossibus augent,
Ossa Bononiensis dederat quæ pastor eidem,
Laudato illius studio, exhortatus in actus
Perfectos, vt viua Deo delubra dicentur.
Intereà Eugenius scelerata per acta Tyrannus
Irritat duram contrà se numinis iram,
At pius oblatis precibus, votisq. nouatis
A superis deposcit opem Theodosius almam.
Conuicit Manichæum hominē sermone perenni
Rectū Augustinus promens per plurima sensum,
Multa notat scriptis iuxta surgentia rerum,
Vt possit fecisse satis non falsa sequutis,
Ac possit repulisse satis peruersa tuentes.
Texuit intereà feruens Hieronymus omnes


Illustres hominum per publica scripta piorum;
Temporibus dictis Augustus Honorius esto,
Tunc pastorē etiam Solymorū Epiphanius acri
Incusat Verbo, patrij dixere Ioannem,
Fautor Origenei quia namq. impensius esset
Sensibus hæreticis, quos fusa volumina pandunt
Peruersè addictus, totis ac viribus hærens,
Præterea socios damnasse licentius audet,
Quos recti videat præscripta à lege remotos,
Encyclicas diuersa fremens, ac falsa Ioannes
Literulas retulit, non contrà obiecta refellens,
Ne quasi per medicum vulnus tractetur acerbū,
Ast obiurgantem per dicta indebita carpens.
Sic occulta ferè scelerum velamina quærunt
Qui peccare solent, odioq. habuere magistrum
Virtutis, veriq. sonos, ac germen honesti,
Auersati animi pacem, ac cœlestia rerum.




ECCLE-

ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER VNDECIMVS.





Oſtquàm biſſenos Dius ſe fudit in artus
Spiritus, Eccleſiam concepto robore firmans,
Perpetuam decreuit opem, cœleſtia in æuum
Pollicitus dona, vt poſthàc nullius iniquis
Conſilijs, aut vi collectio tota recidi
Iuſtorum poſſit, iacto quaſi ſemine terris
Aeternæ ſobolis, ſicut natura creatrix
Compoſitum renouat noua per ſpiramina mundum,
Fixoſq. influxus cauſſarum, ac germina rerum,
Sæpe licet pereat, poſſitue periſſe videri.
Ergò cum Lybicis collapſa iaceret in oris
Forma, decuſq. animi, morumq. in praua ruentum
Peruerſum ſtudium latè depreſſa teneret
Regnà procul, pariterq. homines pia vota fugarent,
Solliciti patres, diuinæ ac laudis amore
Incenſi, quæ digna forent renouaſſe laborant;

Hipponam in patriam, quos Aphrica terra dedisset
Concessere vltrò ritus firmare receptos,
Restituunt, quæ fortè vident, opus esse bonorũ,
Discussis rerum ambiguis, caussisq. paratis,
Quadraginta olim capitum decreta ferentes.
Tunc Augustinus, Synodi qui tecta vocatus
Intrarat fortasse vnà, pariterq frequenti
Voce, Dei caussam secum tractauerat omnem
Pastorum ex iussu astantum, subiecta colendæ
Perpetuò fidei per dogmata certa retexit.
Ergo adiutorem statuisse Valerius optat
Muneris assumpti, tandemq. elegit eundem,
Alipium patres & præfecere Tagastæ
Quondàm Augustini sociũ, quò sacra ministret.
Intereà belli dubius, rerumque nouarum
Eutropio misso Theodosius ora Ioannis
Consulit, hic etenim veracia sæpe repertus
Prædixisse prius diuino numine plenus.
Votis propitium satagit sibi reddere numen,
Aeternamq implorat opem, delubraq. Diuùm
Stratus obit, flexoq. genu tutamina poscit.
Ergò victorem per verba optata futurum
Edicit vates; sed non sua funera noster
Effugiet populus, non, vt fuit antè, cruorem
Non videant hæc castra Ducis, renouabitur, inquit,
Vt cadat, hostili mixtus cum sanguine sanguis,
Mox etiam postrema breui sua tempora sunto
Ductori rerum, vt cœlestia præmia carpat
Dimittens artus, ac sese interserat astris.
Sic cecinit vates, sic spe Theodosius audet
Non dubia secum concepta, oracula postquàm
Retulit Eutropius; iam sese accingit in arma,
Nec

Nec tamen, in terris vt consueuere frequentes,
Propterea argentum extorquet, durumq. tributum,
At magis impositum curat deponere pondus,
Seu primum soluisse iugum, vt mitissima rerum
Deposcat, certetq. animos monstrare benignos.
Iamque Nepotianus, qui pertractauerat vnà
Arma prius, cleri sortem delegerat, vt se
Militiæ superum duris adscriberet actis,
Mentem impellendo in veræ virtutis amorem.
Dum trans ire studet Theodosius, occupat Alpes
Eugenius: fouet Eugenium Arbogastes in armis;
Impietas secum furit, erexere Deorum
In certis simulachra locis, fidisse parati
Præsidijs, stygij reuocato errore Tyranni.
Quin etiam, quoniam succedere contigit Vrbi
Mediolanensi, qua se subtraxerat antè
Impietatē horrens immensùm Ambrosius hostis,
Cùm vultus Ciues retrouertère petitos,
Ne quam contraherent sua per commercia labē,
Iactauere minas, per quas exponere in vsus
Templa Dei se velle ferant, si vincere detur
Immeritos, cultu iustorum, obsequijsq. remotis,
Ergò congressi populi, pariterq. ferocem
Gestantes animum, certi seu sternere bello
Oppositos, seu ferre necem per dura laborum;
Ac cæde vtrinque ingenti sub luce patrata,
Vt peiora tamen tulerit Theodosius armis;
Collatis renouasse parant certamina signis.
Non vexilla eadem steterant: vexilla salutis
Hinc surgunt, vanorum illinc simulachra Deorum;
Illudunt auræ studijs sublata superbis;
Dicitur interea, quoniam meliora tulissent

Ante

Antè mali, flexisse genu sub nocte sequenti
Romanus ductor, cupidus pepulisse parentem
In sua vota Deum, ac dubijs succurrere rebus.
Tùm Petrus, ac Paulus cœlo accessere roganti
Per visum Diui late fidisse iubentes,
Inuictos reuocasse animos, sperasse salutem,
Quàm velit, immensum, prò qua certasse laboret.
Hisce renarratis penitus perfusa recenti
Pectora lætitia, recreataq. corda piorum.
Ergò congreditur castris hostilibus idem
Rursus, & extremo certat peruadere nixu
Oppositas gentes, ac debellare Tyrannum.
Fama fuit ventos conspirauisse fluentes
In turmam hostilem, ac retrò retulisse sagittas
Impulsu magno, authores ferijsse paratas.
Territa diuinis sunt barbara pectora gestis:
Ergo cadunt eadem cæsa, Arbogaste perempto,
Eugenioq. simul; quorum Arbogastes iniquus,
Dum timet offensos vultus, ac principis iram,
In sese accito conuertit funere dextram;
Eugenius captus coràm ductore virorum
Truncatur ferro, mentis condigna reportans
Præmia peruersæ, patratorumq. malorum.
Ambrosio ductor grates Theodosius egit
Acceptum referens, quòd sic vicisset, eidem.
Mox obijt Monachus vates, vatemq. sequutus
Dux fuit, vt caderet fato victore subactus;
Ante tamen gentes passæ telluris hiatus,
Motusq. horrendos visæ plorasse futuros
Euentus, duramq. viri miserescere sortem.
Nec minus extremo pietas celebrabilis actu,
Quàm prius, eluxit postquam victoria parta est:
Nam dudum illata genti prò cæde rebelli
Sacramentorum abstinuit Theodosius vsu,
Chri-

Christo vel iustos exhorrescente cruores.
Diuidit imperium natis, hortatur inanem
Romanos homines cultum abiecisse Deorum:
At quia vidisset falso persistere sensu,
Amplexanda, inquit, vobis signacula Christi,
Felicem vt vitæ metam teneatis,& actus.
Diues opum Ruffinus erat: construxit ad Vrbem
Chalcedonem sumptus, artisq. notabilis ædes,
Clari pastores toto ex Oriente vocati
Conuenere illùc templum sacrasse superbum.
Decretum est pariter, si deponendus adepta
Quis fuerit de sede patrum, non posse duorum,
Siue trium impleri votis, totumq. reposci
Regnum electorum gentis, ne fortè repulsa
Iustitia in paucis odio certetur iniquo,
Seu leuitate animi iustis iniuria fiat.
Tunc Amphillochius clarus fuit inter eosdem:
In Donatistis dissensio nata refertur
Schisma nouum passis: hos Aphrica terra fouebat
Innumeros; miseris heù cæca insania sedit
Cogere Martyrij ex caussa, se funere perdi.
Tecum Augustinus, Diue ò Hieronyme, scripto
Contendisse potest, quia nam damnasse videris
Iniustè quosdam præ se laudata ferentes,
Dogmata Origenei tamen euitanda sequutos.
Paulinus fuerat, secumq. Therasia coniux:
Hi bona pauperibus latè donasse reperti
Perfectæ vitæ mores, cursusq. sequuti,
Contemptumq. sui, veræq. insignia laudis.
Nolanum in campum secedere vtrumq. duorum
Contigit, extructasq. suis è sumptibus ædes
Magnifico luxu pariter coluisse feruntur,
Iamq. sacerdotis gradibus decoratus honestis,
Am-

Ambrosij studio commercia coniugis arcet,
Nequaquàm absimilem referunt monumenta seuerum.
Gallia Martinum celebrat sermone frequenti,
Ac plures alios secum virtute notandos.
Tetradij famulum Dæmon peruicerat actus:
Impositis manibus Martino vrgente recessit.
Ergò Tetradius vires miratus, & actus,
Diuinæ didicit fidei parere libenter.
Mauritium reddunt exempla fidelia clarum:
Hic vitam colubro per signa salutis ademit,
Eduxitq locis siccis diuinitus vndas.
Coniugio iuncti fuerant Faltonia Virgo,
Et Probus, insignes virtutibus ambo paratis.
Progeniti ex ipsis infans Iuliana, Probinus,
Olybriusq. Probusq. puer: Iuliana recenti
Demetriam partu, decus immortale pudoris
Posteà seruantem felicibus edidit aluis.
Arcadius princeps, qui natu maior, & annis
Tunc erat Eoas, at frater Honorius arces
Occiduas tenuit: Stilico quasi tutor eisdem
Bella gerit, neptis quem per connubia Ductor
Iunxerat ante sibi, quæ nomine dicta Serena est.
Eudoxam Arcadius sponsam delegit: vtrumque
Iam fratrem Arsenius Dia expurgauerat vnda.
Incipit inuidia carpi Ruffinus acerba,
Quam cuperet, genita Arcadio sponsasse repulsa:
Ergò dolos, fraudemq. agitat Ruffinus, & hostes
Excitat, Imperij latos inuadere fines,
Præsidibus sibi Regnorum per fœdera iunctis.
Antiochus Græcis, secumq Gerontius vnà
Thermopilis quondam Præfectus præmia turpi
Turpia composita pro traditione reposcunt.
Germina perfidiæ latè infelicia rerum

Atq.

Atq. tenebrarum caligine fusa malarum.
Sic oblita Dei, ac legum? sic pectora nequam
In vobis geritis? sensu sic cæca nefando?
Vt steterit patriæ celebres inferre ruinas?
Ergò Alarico contrà insurgente Gothorum
Rege, patent aditus castris, & forma locorum.
Irrumpunt hostes feritate vrgente magistra,
Europæ ingressi Sedes, ac Regna piorum
Fortunato ausu, cessisq. fauoribus vsi,
Afficiunt populos ingenti clade petitos:
Vastauere nouis magnas insultibus Vrbes,
Certi conceptas animo miscere rapinas.
Hunni prætereà concursibus vndique factis
Peruasere oras Asiæ: pòpulata scelestis
Oppida militibus deplorauere labores
Extremos, sortemq. malam, cædesq. nefandas.
Iam quis non metuat seriem admirabilis actus?
Iudiciumq. Dei durissima scandala rerum
In pœnam scelerum permittere sæpe parati?
Vt quasi contractas per pura lauacra liquorum
Abstergat sordes terrarum, hominumq. reatus
Corruptæ? ac miseræ noua per discrimina gentis?
Tùm rursum authores pœnæ peccata sequutos
Impia, & innocuos etiam per dira prementes
Gesta ministerij oblati, quasi libera frænis
Colla gerant, Deus iniectis pro pondere iustæ
Mensuræ laqueis in desperata malorum
Septa trahit, nullis non intentantibus atram
Perniciem, extirpare parans radicitus omnes.
Ergò ferox animi lapsis succurrere rebus
Imperij certus, sese obiecturus ijsdem
Binos castrorum versat componere cætus
Dux lectus Stilico: sed soluere nititur ausus
Falsis Ruffinus prætextibus: ecce trucidant

Per

Per ludum defixum hastis sublime ferentes
Turpe caput populi dum præstolatur, & optat
Arcadij Augusti studio collega frequenti
Dux acclamari: votis, & fraude retecta;
Dimissa est Solymæ coniux, & nata sub oras,
Vtraq. quod sacras pauidè aufugisset ad aras;
Syluia Ruffini soror extitit inclyta Virgo.
Tu Deus à nostro nexus dissolue malignos
Semine, vt innocuos vitæ procurrat in actus:
Hostes indigenæ facti tenuere locorum
Diruta, contemptis ducibus, castrisq. piorum:
Princeps terrarum confirmat vterq. fouendo
Christiadum cultus prolata lege verendos,
Sectatus iusti vestigia nota parentis.
Augustinus erat doctrina insignis, & actu
Virtutis, magnæq. spei, verboq. disertus,
Hæreticos latè scripto sermone refellens:
Hunc gentis studijs in munera sacra petitum
Dum metuit Ciuis, nè fortè aliena vocatus
Oppida diuini dotet per semina verbi,
Præreptus latè populis, patria Vrbe relicta,
Eligitur nondum functo pastore diebus,
Vt quasi de gradibus sese deiecerit vltrò
Primus adhuc viuens pulsus splendore secundi
Nullis exemplis, sed iusto errore ferendus.
Hinc tecum Pauline libris commercia scriptis
Cæpta tui, multosq. alijs poscentibus edit
Diuino planè ingenio, sensuq. fideli.
Te quoq. in illustres rerum ambitiose Licenti
Contemptus reuocat, quò sic quasi grata referret
Facta tuo hortanti se quondam in recta parenti.
Intulit in Lybiam monachos, qui fortè probati
Creuere immensum, fructusq. tulere frequentes.
Bella mouent Persæ, quia transfugisse reperti
Arme-

Armeni dextram Arcadij imploraſſe laborant;
Arcadius fouet auxilio, certatur & armis.
Contigit aduerſis iam concurrentibus vnà
Militibus, cerni aerias in veſte piorum
Illuxiſse Cruces, quæ latè mentibus hoſtis
Incuſsere metum, vt penitus terrore coacti
Terga retrò, ac plantas poſſint monſtraſse fugaces.
Creſconius quidam fuerat, cui ſacra poteſtas
Addita, ſed mores tenuit, vitamq. ſceleſtam.
Ergò virum Stilico nequicquàm obſtante furori
Ambróſio, brutis laniandum obiecit in Vrbe
Mediolanenſi ex vſus feritate recepti:
Bruta tamen greſſu celeri dimiſſa theatris
Contrà immittentes curſus retulere moratos;
Ordinibus cedente Deo miracula ſacris.
Pœnituit Stilicona Ducem damnabilis actus;
Dæmon cuiuſdam miſeros obſederat artus:
Per vota Ambroſij ſoſpes euaſerat idem;
Non tamen erubuit rurſum peccaſse ſceleſtè;
Ergò iterum ſtygio cruciandus traditur hoſti,
Peccantem vt ſtygio noſcas parere Tyranno.
Fritigil audierat Díui celebrabile nomen
Marcomannorum quondam Regina potentum:
Diuinæ fidei ſenſum per ſcripta doceri
Appetit hæc eadem, efficitur; iam reddita Chriſto eſt
Aucta fide, nobiſcum etiam noua pacis iniuit
Fœdera, compulſo quæcumq. in digna marito;
Quin etiam auſa fuit patrijs decedere tectis,
Conueniſse parans Diuum, & cognoſcere ſenſu:
Quem tamen accedens fatali tempore latè
Præreptum reperit; cœliq. ſubiſse receptus;
Ad Chriſtum reuocans fidei feruore perenni

Nice-

Nicetas Bessasq. Scytasq. Dacesq. Getasq.
Tu quoq. victrici septem subiecta trioni
Oppida compellis cursus adijsse salutis.
In vestros animum gentes reuocate parentes:
Si quis ab impressis vestigia fixa retorquet,
Illusor fuerit, iustoq. recesserit actu.
Heù quanti luctus, quæ vos extrema manebunt
Exitia, ò miseri, quorum imprudentibus ausis
Acciti in vitam populi, sortemq. fidelem
Submoti posthàc per dogmata vestra fuerunt.
Ruffinus remeans, coniux Melania secum
Romæ inferre student, quæ quondam pessima rerum
Scripsit Origeneus, specie pietatis inani
Fallentes multos. Fraudem Marcella retexit
Fœmina, quæ Christi verum didicisset amorem.
Detecti hæreticos sensus fouisse negabant,
Iam prius exceptos Nolæ Paulinus apertè
In cœlum extulerat propria bonitate rependens
Occultos aliorum animos, moresq. bilingues.
Fortè Crucis Diæ Paulino munera fragmen
Ii dederant, aliàs vastantibus ignibus ædes
Oblatum, flammas, ac tota incendia fregit,
Decertante fide, ac ligni virtute colendi
Contrà irrumpentes rabido feruore fauillas.
Ambrosio vita functo, superisq recepto
Simplicianus obit claros pastoris honores,
Mediolanensi meritò sublectus in vrbe.
Hic tibi Laurenti gentisq. vrbisq Nouaræ
Pastori quondam pro Christo funera passo
Certis cum pueris, quos instruxisse studebas,
Gaudentem Diuum modò suffecisse laborat.
Consulit Arcadius noua per rescripta piorum
Ecclesiæ remouens causs[illegible] & scandala rerum.

Vrbe

Vrbe in Taurina, ac pariter Carthagine patres
Consedere pios hominum componere ritus.
Simplicianus amat sua subiecisse librorum
Dicto Augustini, si quam fortasse luberet
Addere censuram, nè quis subreperet error.
Dimisit fratrem in patrias Hieronymus Vrbes
Vendere, quæ superant rerũ, quò donet egenos.
Edita Origenei damnanda volumina Romam
Notæ Pammachius virtutis mittit eidem,
Quò sibi designet reprobos sapientia sensus:
ἀρχῶν illa putes, queis multa venena malarum
Texit Origeneus voeum tradenda libellis.
Hic functa vita Paulina vxore, recessit
Romanum in portum profundere certus in vsus
Iustorum precium rerum, pariterq. Ioanni,
Ac Paulo extruxit dignissima templa Beatis.
Permoti quidam verbis Danielis in annos
Annorum retulere dies, quò temporis esset
Rebus in humanis præfixa fidelibus ætas:
Quos Augustinus Diuus sperasse bonorum
Incassum finem retulit, sortemq. sinistram.
Tu singillatim si tempora dena diebus
Assignes, fortasse potes cognoscere metas.
Surgit Anastasius, quia nam Siricius antè
Concessit fatis, pastor; commendat apertis
Paulinum obsequijs idem virtutibus auctum.
In Donatistas rescripsit Honorius ausos
Christiadis inferre malum, templisq. colendis.
Aphrica Concilium pro defensore locorum
Decernendo optat, ducibusq. subinde petendo.
Coniugio Mariam sibi iunxit Honorius auctam
De Stilicone viro, ac patris de nepte puellam.
Gildo fuit, natus Mauri de semine Regis:
Hunc contrà firmum fratrem pugnare paratum

Insti-

Instituit comitem quondam Theodosius esse,
Hoc quia se Firmus gereret per facta Tyrannũ;
Filia Nebridio Saluina adiuncta marito,
Nebridio Augustæ, natoq. sorore nepoti:
Mox expugnato Firmo iuuisse recusans
Concessis opibus Dominum, decernitur hostis;
Mascezil frater Dux declaratur in ipsum,
Cuius crudeli natos occiderat ausu
Gildo ferox. Secum assumpsit Mascezil in armis
Insignes monachos comites, sociosq. laborum:
Effundit pia vota Deo, ieiunia miscet
Præsidium implorans. Ambrosius ergò recenti
Visus adesse sibi noctis per tempora signo:
Hic, ternis repetens vicibus, Mascezil ibidem
Accipiens omen facti, speransq. futurum,
Vt victor fieret terna sub luce, resistit.
Ergò manu parua assumpta processit in hostes
Innumeros paulum; primo vexilla tenente
Occiso; reliqui pro deditione putarunt
Signum inclinatum. Gildo desertus in altum
Abscessit profugus, rursusq. retractus iniqui
Consilij, ac facti pœnas, læthumq. reportat.
O vanos rerum cursus, sortesq. timendas.
Mascezil motus successibus ipse secundis
Ecclesiæ ritus ausu temerasse superbo
Contendit, malè diuini qui conscius esset
Consilij, rursus quòd vectum ad sydera possit
Deijcere, ac mæstis supponere casibus orbem,
Vt discant animos homines gestare modestos.
Ergò perit diro sese cogente reatu,
Nequitiæ meritos luctus, mortemq. rependens.
Sancitum à lectis patribus Carthagine, Clerum,
Et Monachos victum assumpto quæsisse labore,
Ocia vitando, lucrumq. reposcere in vsus
Vrgen-

Vrgentes rerum, vt peccandi occasio desit.
Sancitum pariter, cunctis reseranda sacrorum
Ostia Templorum, Diuini semina Verbi
Sensu excepturis, penitusq. audire paratis,
Sacris præsidibus: fit rursus Honorius author
Iudicium in laycos posse exercere fideles.
Nectario vita expuncto Chrysostomus vrbis
Constantinææ pastor decernitur vno
Consensu gentis, communi ac voce piorum.
Is primùm hæreticos frænat, curaq. recenti
Conciliat Romę Flauianum in tempora scissum,
Immissis illùc patria oratoribus ora;
Inde alios ritus veluti moderatur habenis,
Quos potuit reprobos conuertere ciuis in vsus.
Ecce autē Eutropio Gainas secū inuidet vltrò:
Castrorum Dux iste fuit, gratissimus ille
Arcadio, qui cuncta homini curanda dedisset.
Aduocat ergò hostes, mox & colludit eisdem.
Quàm faciles Regnorum aditus patuere ruinis.
Qui terris regnas, lances æquare memento,
Ne cui iusta animo contrà stet caussa doloris:
Difficilè possis mentes lenisse feroces,
Si sit opus, fidisse viris, iniuria magnis
Illata, vt iustè se læsos esse querantur,
Magnorum fuerint irritamenta malorum.
Consuluere viri Gazæ Mannæa Deorum:
Exorat sterni pastor Porphyrius isthæc,
Misso principibus Marco oratore locorum,
Delubris clausis, quæ tunc celeberrima starent:
Sordida sectatus quidam sed lucra minister,
Poscere permisit sortes simulachra futuras,
Vt nunquam desit, qui res tutetur iniquas.
Contigit, in partu cum fœmina prorsus acerbo
Hæreret, dubiæ sic vt discrimina vitæ

Pro-


Proxima perciperet, quadam nutrice fideli
Sacram hortante fidem corde excepiſſe libenti,
Optatos fœtus felicibus ederet aluis.
Propterea Chriſti repetito nomine multis
Eſt olim conceſſa ſalus credentibus vltrò.
Moribus Eutropius ſceleratis extitit inter
Præcipuos, primæ longè celeberrimus aulæ:
Proſequitur Gainas odijs hæc monſtra virorũ.
Deficit Arcadio Gainas, depoſcit eundem
Infenſum ſibi concedi, quò poneret iras.
Eutropius tandem gradibus deiectus opimis
Ferro obtruncatur, Gainas deſiſtere viſus;
Maiumiæ Arcadius ſpectacula fœda negauit;
Pammachio miſit libros Hieronymus ἀρχῶν
Correctos cenſura acri, certaq. notatos.
Vrbis Alexandri quæ nomine dicta perenni,
Lectus paſtor erat, dictuſq. Theophilus: idem
Sectatus Cyprios, quorũ eſt Epiphanius author,
Damnat Origenei libros, quos dixeris ἀρχῶν,
Collecta Synodo; tum geſta ſalubria ſecum
Mittit Anaſtaſio ſummo pro tempore Romæ
Patri Chriſtiadum, conſultoriq. piorum:
Præterea Monachos Nitriæ deſerta colentes,
Atq. Paleſtinæ rerum monuiſſe laborat.
Vrbibus Euthymius, ſecumq. Dioſcorus, Am-
monq.
Expulſi, fraterq. Ammon Euſebius vnà.
Ingenij Theodorus erat clariſſimus actu,
Moribus, & vita, atq. animi pietate decorus:
Hunc Auguſtinus laudat ſermone frequenti,
Templa euerſa iacent, ſimulachraq. fracta Deorũ
Quorundam ſtudio Carthaginis vrbis honeſto;
Expurgatæ alibi ceſſere fidelibus ædes,
Infandæ, illatis, quæ viſa ſalubria iuſtis,
Her-


Herculeæ simulachra vmbræ fregere fideles,
Suffecta in patria; commoti mente coloni
Sexaginta hominum lætho misere piorum.
Ethnica progenies calami duxere choreas
Sacrilego in festo sacri circa ostia Templi:
Christiadæ prohibent. Ergò occidére frequentes
Irati populi, temploq. incendia miscent.
Possidio contrà pastore agitante querelas.
Romæ relliquię scelerum, atq. impietatis abactę,
Per Stilicona Ducem sanctè deperdita flammis,
Antè sybillinis fuerant quæ scripta libellis.
Passus Alexander, secumq. Sisinnius, & qui
Martyrius dictus Martyr quoq. funera passus.
Cœcus adit cineres, cæcus fit lumine sospes:
Capti occisores patrum per vota redempti.
Iam tu martyrium per saxa petite Vigili
Pastor promeritus, quoniam subuertis Idolum.
A Martino epulas optauerat aulicus; idem
Monuit, humani vitans commercia fastus.
Perfida corda gerés Gainas rursum excitat iras;
Arcadioq. studet duras imponere leges.
Principis ex aula plures in funera poscit,
Mulctati exilio. Gainæ delubra roganti
Cedenda Arrianis Chrysostomus ipse resistit.
Iurarat Gainas nullos mouisse tumultus
Arcadio insidias agitans: tamen ecce sub vrbem
Constantinæam venit expugnasse laborans:
Nec prius absistit, quàm circum mænia cætus
Alituum visi fuerint defendere muros.
Ergò reijcitur, qui commoda publica vexat.
Thracia direpta est Gainæi incursibus hostis:
Mox etiam Gainas cecidit, iunctæq. cohortes.
Ingens intereà signum superastitit vrbi,
Aereus vapor, æstiuis feruoribus ardens,

Ac terra ardenti durè compacta vapori;
Exhalata tamen; Physici dixere Cometam.
Territa corda metu, fidei cessere frequentes.
Ecce simoniacè quidam cepisse reperti
Pastorale Ephesi munus: de munere pulsi:
Præripitur læthо rerum damnabilis author,
Quondam accusatus; sic euitata malorum
Pœna grauis, famam sceleri seruasse videtur.
Fœmina diuinis aliàs incredula verbis
Accedens superæ lauta ad conuiuia mensæ,
Supposuisse parat pro sacro pane prophanum.
Vix ori admouit buccellæ frusta rebelli,
In lapidem sensit durescere sumpta recentem.
Territa pastori nequissima gesta fatendo
Nunciat: effusæ lachrymæ peperere salutem,
Seruatus lapis edocuit miracula dudum.
Suadet Anastasio per scripta Theophilus ἀρχῶν
Censuræ damnasse notis, & currere eundem
In sensum secum. Discussa volumina Romæ
Iudicio reprobata pari, monitiq. per Vrbes
Pastorum cœtus, nè forte incerta sequantur,
Delusi quamdam vani per nominis vmbram,
Sed puro discant hausisse è fonte liquores.
Vrbe noua Roma circum per compita carmen
Arriani cecinisse volunt, Arriana loquutum
Dogmata, Simplicium nè corda tepescere sensu
Contingat falso; quò pressa licentia gentis
Desineret iustos corrumpere velle fideles;
Excitat opposito cantu celebrasse colendam,
Aeternamq. fidem Chrysostomus orthodoxos.
Vtile consilium reprobos euertit, vt artem
Authorum videant animis illudere partam.
Turbas ergò parant rabido miscere tumultu;
Saxa volant, frontem percussus Briso necatur,

Prin-

Principis Eunuchus, multi cæduntur vtrinque.
Arcadius iubet hæreticos abſiſtere cantu,
Exturbatq. locis, nullo diſcrimine ſexus,
Diuinæ fidei, paſtore vrgente, rebelles.






ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER DVODECIMVS.





VM Deus incertas fluxu currente malorum
Humanæ vitæ dederit succedere sortes,
Cùm dubios casus sæpe impendente ruina,
Dum magis euehimur gradibus, firmauerit idem,
Stultitiam reputes in risum effundere vultus;
Ac laxare animum rebus felicibus auctum:
Sic quasi perpetuos habeant tua gaudia nexus,
Inscia venturi per rerum asperrima fati;
Quippe solent homines quasi cursibus acta citatis
Puppis, in Oceani scopulis hæsisse repertis.
Ergò licet tutus tibi fortè videberis olim
Incursu nequam, nunquàm securior esto;
At nè damna premant contrà surgentia pectus,
Incipe sydereos transcendere mente receptus.
Quem fouet in caussas spes immortalis iniquas,
Victor erit, pressusq; iterùm caput eriget astris.
Talis erat quondam pastor Chrysostomus, ac se

Talem

Talem præſidio ſuperæ virtutis agebat;
Hæreticos reuocaſſe Scythas vt poſſet abundè
In ſanum fidei ſenſum, delegit iiſdem
De Scythicis aliquos, tùm ſacris ædibus auxit;
Idem etiam Nomadas in vincla ſalubria traxit,
Perſimili ſtudio, viduas tutatus egentes
Eudoxam contrà cæco feruore furentem.
Diuitijs eadem cuiuſdam inhiabat apertè;
Molitur, quanam poſſit ratione potiri,
Amplexata nefas animo, ſenſuſq. malignos:
Is dat pauperibus Diui pia vota ſequutus.
Propterea Eudoxa ſecum patiente ruborem;
Pluribus immiſſis Monachis, pariterq. Miniſtris
Arcadio cedente ſibi ſubuertit Idola
Phœnicum, quanquã hi læthò miſere frequentes,
Vaſe velut luteo infracto Gedeonis in armis,
Lumen vt eniteat ſuperæ virtutis in vmbris.
Ecce autem incipiunt Monachi miſcere querelas
Aegypto pulſi, vt ſtudium paſtoris, & actus
Arcadio damnent coràm ductore virorum.
Excipit offenſos ſenſu Chryſoſtomus æquo,
Conciliaturus, fieri ſi poſſet, eoſdem,
Nondùm porrectis iuxtà ſua vota libellis.
Inter vtrunq. vltrò, citròq. reciproca dudùm
Tentatura animos defluxit epiſtola patrum;
Nec tamen optatam licuit componere pacem.
Credibile eſt Monachos, quorum Chryſoſtomus inſtat
Tutari cauſſam, vt reuocet pœnalia rerum,
Non durè falſis obnixos ſenſibus eſſe,
At dociles monſtraſſe animos reuocaſſe paratos,
Quæ minus in verbis rectè reprobata tuliſſent,
Cum plenè in ſenſum collectio tota bonorum
Deſcenſura alium foret, vt clariſſima cunctis,

Firmaq. Christiadum populis decisio currat.
Re tota infecta, concepta querela libelli
Est commissa Duci, paritérq. Theophilus vrget
Per Monachos missos obiecta refellere rerum;
Quin etiam opposito subuertere tentat eosdem
Crimine, damnantur nequaquàm obiecta probantes:
Quin etiam, quia se corruptos esse fatentur,
Mulctati exilio, dira vel cæde perempti.
Author iudicij discrimen adire coactus,
Vt reus eximiam Imperij accersitur in vrbem.
Ergò sub occursum quæsisse Theophilus instat,
Quæ contrà opponat, quò te Chrysostome ab altis
Detrudat gradibus, decertaturus iniquis
Consilijs tecum: tantùm sæuire superbo
Impulsu persæpe solet mens percita rerum,
Vt, quasi contemptus, quem falsa præoccupat ira,
Possit in arbitrium sese conferre furoris.
Ergò etiam Eudoxam commouit acerbius actam,
Quas velit in iustum contrà iactasse querelas;
Iudicium iuxtà legum præscripta vocatus,
Sed non tractandum ex iusta ratione recusat:
Quippe ait, eijcite à vobis inimica meorum
Pectora: non renuam ex legum subijsse rigore
Iudicium, quodcunq. velit censura bonorum.
Secum etiam Cyprius pastor certasse refertur,
Qui mox decessit vita prouectior æuo,
Antè petens Monachos pelli debere receptos:
Quem cōtrà verbis Chrysostomus excipit vltrò,
Dum sese pressos per falsa obiecta queruntur,
Ac dum virtutem præ se quoq. ferre videntur,
Non damnasse iuuat, si non concurrerit vnà
Scrutantum iustè per dura examina patrum,
Con-

Concilium, vt rectum possit dignoscere sensum.
Ergò depositum gradibus detrudere certant
Collecti cœtus, & quas exhorruit idem
Iudicij formas, nè quid peccaret iniquè,
Ac temerè contra prætensa errata reorum,
In sese expertus potuit perferre labores.
Pulsus in exilium reuocatur luce sequenti
Ac populi studio, & mota tellure deorsum.
Antè Seuerianus, Gabala qui pastor in Vrbe,
Delatus noxæ fuerat, deiectus in ima;
Pastorale decus comperto errore recepit.
Damnat Anastasius Ruffinum ex Vrbe fugatum,
Dogmata Origenei quia nam inuexisset in Vrbem;
Nunciat id Solymæ misso oratore locorum,
In sanam vt reuocet frugem per scripta Ioanné.
Exagitat scissos rursum Aphrica Donatistas;
Sperat Anastasius reuocari posse repulsos,
Hunc tamen immeritò sua spes cócepta fefellit.
Cessit Anastasius fatis, Epiphanius vnà
Cessit, in immensos cœli delatus honores.
His comes accessit terris translatus in astra
Martinus, cuius miracula clara feruntur.
Fortunatus erat, sacra pendebat in æde
Martini effigies gentis de more recepto,
Fulgebant lychni coràm, quæ signa manentis
Perpetuò visæ fuerint; is luminis vsu
Captus, & innixus fidei pietatis, inunxit
Infuso lychnorum oleo cæca organa visus:
Sic reparat sensus, noctemq. repellit acerbam.
Fit Romæ pastor, non ille Nocentius, vrbis,
Conciliumq. Mileui habitũ, quas continet vrbes
Aphrica, laudatos ritus, rectamq. reposcit
Viuendi normam, sublato errore malorum.

Qui sanæ fidei studio commotus eandem
Contradicentem, blasphemantemq; repertam
Arguit: Aeterni solus qui nominis, inquit,
En qui perpetuo cœli regit astra rotatu,
Obstruat ora tui, nè posthàc falsa loquaris.
Supplicium sequitur; nã destruit organa linguæ,
Vt semper taceat, Deus; hinc immota resistit
Iulia, vt exhalet mentem tremebunda scelestam.
Nemo sibi placeat, si quid fortasse videtur
Ex recto sensu, ac forma virtutis honesta
Effecisse operum, aut iustos protendere in actus,
Actus naturam duplicem pro fine trahentes:
Nam Christus forma est humani, ac regula motus,
Motus qui possit cœlestia dona mereri.
Vt non in Christo, meritis neque iuncta petitis
Facta putes, neque digna Deo, quæ sæpe videntur.
Rex Alaricus victus Stilicone recessit:
Ecce interdictos permittit Honorius vsus,
Scilicet infanda ludos à gente profectos.
Contigit Eudoxæ fieri simulachra petenti,
Quæ sacranda forent argenti fusa metallo.
Dissuadet populum verbo Chrysostomus acri,
In sensus trahere oppositos sua corda paratus,
Id veluti saperet vsus, cultusq. prophanos:
Ergò Eudoxa iterùm propellere versat eundem
Ex vrbe exactum: rapit in sua vota maritum,
Vt iustè damnatum aliàs Eudoxa repellit.
Iam sua detectus deferre in funera ferrum,
Liber abit spado, vt scires id principis actum
Consilio, mentemq. aperit vis cœca nefandam.
Ergo in Ciliciæ fertur Chrysostomus oras.
Intereà volitant scelerum portenta malorum,

Pastoris de sede faces absumere tecta;
Tygrius, ac secum Eutropius sunt funera passi
Propterea iniustè, durosq. satellitis ictus;
Arsacium statuunt pastorem gentis habendum.
Edicto vetat Arcadius commercia primi,
Ac reprobo similem, si quis sibi fauerit, arcet.
Excipit hospitio sub tecta Dioscorus actum,
Enixè rogitans, subeat felicius ædes.
Fœmina Olympiadis quæ nomine dicta refertur,
Mulctata est auro, quoniam auersata secuudũ est;
Pentadia, & Saluina pares sensere labores,
Et quæ præcipuo Nicerata nitesceret actu
Virtutis, paritérq. æuo matura Sabina;
Quas etiam scriptis idem solatur amicis.
Edita propterea miracula multa feruntur,
Acrem syderei signantia Numinis iram.
Romanus pastor rerum est effectus abundè
Certior, Arcadij falsos & concipit actus;
Misit Cassianum Chrysostomus oratorem,
Collatos patrum retulit qui postea sensus,
Instituens animos, quasi dia oracula nectens.
Ergo vbi decessit vita Chrysostomus, aucta
Exilij sibi sede iterum, vt mage tuta locorum
Armeno in Regno teneat, commotus in omnes
Auctores sceleris contorquet anathema primus
Sacrorum Antistes, donec scelerata fatendo
Facta notent, iustosq. ferant per dura labores.
Arcadium verbo damnauit Honorius acri;
Quod iustum indigno exilio repulisset ab vrbe.
Hipponæ accedens Felix Manichæus in oras
Augustinum adijt, verbo certare paratus:
Exuit errores victus, mentemq. rebellem.
Cœlum Paula subit, terris vbi cadit ab imis.

Anthe-

Anthemium illustrem pietas, virtusq. decorant.
Tempore sub dicto Synodus collecta Toleti est;
Hispanos inter laudatus Olympius extat.
Rhadagaisus erat Scythica de gente tyrannus,
Italiam est ausus lectis intrare cateruis;
Adfuerant belli sociæ: perterrita Roma
Ingemuit, secum Italici perterrita cæli
Oppida in exitium quasi deferrentur apertum,
Innumeros vidisse licet contra arma tenentes.
Constiterant Fesulis, ibi prouida corda piorum
Concurrente Deo secum conclusit iniquos,
Vt pauidi tremerent, potusq., ac panis egentes.
Ergo velut pecudes languore vrgente dederunt
Euicti dextras; precio mercantur eosdem,
Quos in seruitium modò sors inopina redegit,
Italicæ gentis populi, ac potuisse timeri,
Quos duro pressere iugo, mirantur ouantes.
Atticus Arsacio supponitur ante cadenti;
Vuandalici irrumpunt iterum, Sueuæq. cohortes:
Indignos laxata fouet fera Gallia mores,
Indignos pariter mores Hispania secum.
Ergo barbaricis iusto damnata reatu
Opprimitur ducibus, rapidisq. incursibus hostis.
Arcadius cineres defert Samuelis in vrbem
Præcipuam, cultu, sacro veneratus easdem,
Ac tandem excedit vita. Theodosius extat
Ex illo genitus, curatoremq. futurum
Persarum Regem decreuerat Isdegerdem;
Cum quo perpetuæ iunxisset fœdera pacis.
Hinc reserata via est, Persas docuisse salutis
Dogmata, Marutha Syriæ pastore fideli
Pro fidei augmento multos versante labores.
Proditio detecta fuit Stiliconis in oras

Italiæ, populos, & barbara corda trahentis,
Tollat vt Eucherium Imperij in fastigia natum.
Heu miseros homines: in quos prolabimur æstus
Curarum, vt vanis coniuncti, sanguine crescant.
Non tamen hi crescunt, neque nos ditamur in ipsis,
Sed male solliciti nobis mala nostra fouemus,
Desuper iniecto latè quasi pondere pressi.
Ergo cadit Stilico, nec multò postea natus,
Truncati ferro, coniuxq. Serena, sororq.
Eucherij reiecta fuit Thermantia coniux
Principis occidui, Mariã quæ fortè sequuta est.
Ecce Alaricus casu permotus amici
Obsedit Romam, quæ peste, fameq. premente
Sese auro redimit, latè spoliantur idola;
Sed rursum amota pacis cum principe causa
Obsidione vrbem exagitat, tùm denique cogit
Dedere sese hosti nullo obsistente virorum.
Diripitur pia Roma Gothis, incendia vastant
Plurima, Templorum cessi seruantur honores:
Excessere locis tandem gens perfida victis.
Rex Alaricus Siculas dum tentat in oras
Traijcere, opprimitur letho defunctus acerbo;
Ergo Deo grates edoctus Honorius egit.
Iudæum vexat concepta paralysis artus:
Euadit sumpto fidei Baptismate, sospes.
Vrbis ab Antiocho dictæ cum fortè subiret
Pastor Alexander munus, decernitur olim
Pastori mittenda vrbis legatio Romæ:
Scissio dicta peius penitus sublata recessit,
Ac tua redduntur Chrysostome nomina chartis,
Paruit optatis Beroensis Acacius istis.
Pinianus quondam Consul, Melania coniux,
Ac senior, natusq., Albinaq. cedit ab vrbe,

Distra-

Distractis opibus precio, contendit in Afros,
Hic vbi pauperibus rerum quàm plurima donat,
Mox Augustinum Alipio comitante reuisit.
Concessit fatis tuus hic, Melania, natus,
Forti animo patiente tui te funera nati:
Tu Solymam repetis, mox & decedis ibidem.
Dum fieri Monachus per vota Leporius optat,
Augustino hæret, resq. elargitur egenis,
Vel sacras ædes precio ditasse laborat.
Pammachius cecidit, cecidit Marcella piarum,
Ruffinus Siculis pariter decedit in oris,
Synesius munus, quia namq. Theophilus vrget,
Pastorale capit, docto sermone disertus.
Oppida dicta idem Ptolemæi à nomine poscit.
Iam prius in terris virus profuderat atrum
In prauo haud animis vigilãs Vigilantius equis:
Improbat ille coli cineres, qui vasa fuerunt
Inclita Diuinæ portantia dona salutis,
Alitibus similes qua virginitate sub astra
Proueheris, sic vt solus noua cantica dictes,
Ieiunamq. famem, qua pressa licentia sensus
Reprimitur, spernit, ceras, & lampada templis
Ardentem irridens, queis vita notatur adesse,
Moris Apostolici iuxta præscripta, repellit:
Sic, quæ visa sibi non debita, carpit iniquè.
Hunc tamen Ecclesia scriptis Hieronymus arcet,
Egregiè refracto ausu, dictisq. superbis.
Rex Ataulphus erat, Gothicæ cui sceptra cateruæ
Gestauisse datum; Gallæ nupsisse sorori
Principis occidui satagit, qua fortè potitus,
In Romæ excidijs, impellit Galla maritum,
Iungere amicitias cum patre, ac fœdera pacis.
Inua-

Inuadit Gallos Ataulphus, & arma minatur.
Iam Donatistæ per scripta recentia victi.
Gesserat Andronicus Mareoticus impia præses,
Collectæ Synodi studijs, ac lege seuera
Eijcitur cœtu, nè sint commercia secum.
Ille malo resipit, medicamina digna reposcit:
Sic alias prodest ægro cæsura doloris.
Euagrium trahit ad Christum sermone frequēti
Synesius pastor; promittit centupla danti
Munera pauperibus, quæ sint quasi præmia dantis.
Argenti Euagrius quasi mutua pondera defert,
Cui pastor cauit iuxta promissa petenti.
Euagrius cedit victus post tempora fatis,
Ergo quiescentem impellit sua scripta notarum
De manibus retulisse suis, per somnia noctu;
Quippe, inquit, plenè cum fœnore reddita magno.
Præmia, quæ fuerant per te promissa, recepi.
Facta fides vero est, nā præmia scripta recentes
Concepere notas, cælestia dona sonantes.
Quæstum ex hæreticis pastor Theodosius optat:
Conuenit ergo Ducem. factis Agapetus acerbis
Hæreticus pastor motus, mandata capessit
Diuinæ fidei, pro primo intruditur vrbi,
Primo lucrorum pœnas referente suorum.
Donatista tuis Fortunius oppugnatur
Augustine libris, & schismata nota sequuti.
Consueuere pij, dubius si casus adesset
Accusatorum per facta incerta reorum
Cogere purgandos, per iuramenta vocato
Ad cineres Diuo rerum pro teste suarum,
Periuris facilè dia virtute retectis.
Eiecto populi Patroclum pastore sequuti,
Cui

Cui Patroclo addictus ductor Cōſtantius eſſet.
Heros paſtor erat, Martino edoctus abundè,
Ignarus ſcelerum, non culpæ obnoxius vlli;
Sic temerè virtus contemptum eſt paſſa fauoris.
Vita exceſſurus cum fortè Theophilus eſſet,
Arſenium felicem, inquit, cui cælica cordi,
Semper, & extremi caſus, nec inania curæ.
Scripſit Origenei contrà peruerſa libellos;
Dicitur incertas cum deueniſſet in horas,
Haudquaquàm potuiſſe animum exhalaſſe fugacem,
Donec detruſi quondam paſtoris ab Vrbe
Intuitus ſimulachra piè, veneratus eundem eſt.
Cyrillus patruo ſuffectus munera captat,
Expulſi tandem ipſe refert in dyptica nomen.
Concilio patrum lecto, ſic proximus Vrbis
Conſtantinææ perfecerat Atticus auctor,
Aphrica te comitem, mox Heracliane Tyrannum,
Poſtea Romanas contendere ſenſit in oras,
Millibus innumeris reproborū, & claſſe parata,
Quantam non alij Regum potuere priorum.
Appulerat terris, cum territus hoſte marino
In notam profugus remeat Carthaginis vrbem,
Hic vbi conficitur ſociorum vltricibus armis:
Mulctatum exilio longè eiecere Sabinum
Occiſi generum, nè poſset obeſſe gerendis,
Traijcit in Tyrios iuncta ſibi claſſe Marinus:
Heraclianæos fautores ergo repertos
Lethali ferro, quoſdam, vel ſortè putatos,
Oppreſſit miſere. Te Marcelline beatum
Edicam, in Tyrijs qui cognitor vrbibus eſſes,
In Donatiſtas veſano more furentes,
Eximium virtute virum, vitijſq. rebellem,
Quem

Quē comes immeritò potuit ferijsse Marinus.
Demetrias fuerat Romana notissima gestis,
Ac generis splendore pari, virtutis amatrix:
Desponsata viro vestes mutauit, & artes
Virginibus publicè coniuncta professa pudicas:
Naufraga puppis erat, nullis turbata procellis,
Ac ventis nullis, secum, qui dogma Nouati,
Et qui Catholicum foueant, secura vehebat:
Soluitur in medijs vndis, periere rebelles
Diuinæ fidei, nullo pereunte piorum.
Attalus insurgit Gothica de gente tyrannus,
Exagitat Gallos; Constantius eijcit armis:
Hispanas tenuere fuga felicius oras,
Hic vbi cum natis Ataulphus obisse repertus.
Attalus opprimitur pariter, qui funera sensit
Dura, sibi dextra miserè, palmisq. recisis.
Clara triumphanti fuerat sub mœnibus vrbis
Materies, vt læta daret spectacula genti.
Occisus cecidit pacis Segericus amicus,
Rex quondàm à Gothicis factus, tum Vuallia natus
Infregit fœdus votis, ac mente rebelli
Militiæ motus, sed mox repetiuit eandem
Classe mari mersa, adiunctis pro fœderis vsu
Obsidibus lectis, quem barbara corda sequuntur
Vuandalici, Sueui, ac Scythicæ regionis Alani.
Diuum Augustinum misso Oratore locorum
Hispani super hæresibus, sensuq. maligno
Consuluere; pios verbis docet ille disertis.
Intulit Hispanas peruersus auitus in oras
Dogmata Origenei, libros vbi conspicit ἀρχῶν
Vt noris, reprobum veluti contagia sensum
Lædere, & infundi quasi dira venena medullis.
Tunc præterlapsos descripsit Orosius annos,
Gesta-

Gestarum & rerũ, monumenta perennia, causas.
Cyrillus Marci cineres, cineresq. Ioannis
Sanctorum, ac Cyri, in sedes, vbi dira vigebat
Impietas, transferre parat, quò desinat hostis
Tartareus vexasse pios de finibus actus,
Quippe obmutuerat deiectis ædibus ante,
Attamen infensus poterat turbare colonos:
Has quondam sedes patrij dixere Canopum.
Effectus sequitur, tota infestatio cessat,
Certæ signa fugæ, meritæq. insignia laudis.
Luciano cuidam monstrata sepulchra fuerunt,
In queis Gamaliel, Stephanus, Nicodemus, Abibus
Delituere prius; iuste coluere repertos.
Zachariæ cineres etiam reperere prophetæ.
Allata in Lybiam Stephani quondam ossa prophetant,
Vt vitæ reuocent homines à morte subactos.
Ergo consurgunt sumptu sibi templa superbo.
Cyrilli in populum Iudæa propago tumultus
Excitat; expulsi cessere ex vrbe frequentes:
Hinc præses Cyrillum odit, contentio surgit
Dira nimis, malè sed monachis per vulnera, præses
Accipitur, populus qui saxo præsidis artus
Læserat, in pœnis, dixere Ammona, trucidat.
Iudæi Christo dum blasphemasse laborant
Per lusum, ac puerum ligno affixisse fidelem,
Principis edicto pœnas per dura luerunt.
Reddituum sumptus, quos decreuisset idolis
Cœca superstitio, commotus Honorius aufert.
Militia eiectæ gentes, fideiq. rebelles;
Nè reprobi noceant sua per commercia iustis:
Principis imperijs stirps parabolana repressa est.

Atticus

Atticus eximium de virginitate libellum
Pulcheriæ, Arcadiæ, Flacellæ, vnaq; Marinæ,
Destinat Augustis, fidei & monumenta perennis.
Frater earundem iunior Theodosius esto,
Qui potuit tractasse domi dignissima vitæ
Munera laudatæ, atque actus, moresq. pudicos
Induere, vt visus sit cœnobita piorum:
Imposuit tenues humeris pastoris amictus
Quem populum magni vt iustũ fecisse videbat,
Impellente animum studio pietatis amico.
Idem alias gentem spectacula vana petentem
In vota inflexit nimborum instante procella,
Quos interuertit cælo redeunte sereno:
Aulæ mollities fugit, nutrimina noxæ,
Per dura exercens tenerum ieiunia corpus,
Impatiens luxus, frigus persensit, & æstus,
Excoluit cupidam per sacra volumina mentem;
Affectus frænasse iuuat, cœcumq. furorem,
Diuinasq. sono laudes renouasse frequenti.
Dixeris vnanimem virtutum ex æthere cœtum
Delapsum secum terras habitasse relicto.
Plurima dictorum vomuisse Pelagius ante
Cœperat effundens animo reprobata malorum,
Et quasi conceptum virus diffundere terris.
Forte sequax fuerat cœco Cælestius ausu:
Is Tyrios verbo populos tentasse repertus
Arguitur lecta Synodo Carthagine primum;
Romanam Sedem, quam summam agnosceret orbis,
Appellasse iuuat, procedere temnit in actus
Sperans iudicij sic duram eludere sortem:
Ipse Palæstinos fœdasse Pelagius audet,
Concilio patrum damnare coactus ibidem,
Quæ docuisse potest dictis repetita scelestis,
Bisse-

Bissena abiurat capita eradenda libellis,
Sed fictè nequam, vt discrimina vitet acerba,
Ergo iterum expuitur lecto Carthagine cœtu,
Ac Nomadum celebri suprema in sede Mileui.
Mox Augustinus scripto damnata diserto
Insequitur, perimitq. notis falsissima miris,
Certior Antistes Romanæ sedis vtrunque
Redditus hæreticum censura vrgente peremit.
Accitus Romam post ista Pelagius audet
Obdurasse animis transfusa venena negando
Ex Ada scelerum in natos, stirpemq. sequutam.
Zosimus extincto prædecessore sacrorum
Ductor erat Romæ, qui perfida dogmata carpit
Decretis expuncta nouis, sectæq. ministros
Vrbibus eiectos, vbi nouit Honorius, arcet;
Rerum tantarum, quas esset vterq. professus
Summa ab Origenei quondam decerpta libellis,
Illa fuit, mentes hominum non posse reatus
Aut sensus traxisse malos, neque funera secum
Ex vi defectus Adæ, vt peccata fugari,
Affectusq. ferant nostro sudore repelli:
Non illi admittunt vitiorum impressa malorum
Semina, vt euacuent dantem medicamina Christum,
Ac foueant animos accito errore superbos:
Si non peccatum fuerit, neque gratia tradux,
Ergo fides Christi procul euanescet in auras,
Vt minimè prosit credentibus addita virtus.
Si non peccatum fluat è radice parentum,
Vnde igitur miseri? deplorandiq. reatus
Pœnarum in terris pueris infantibus adsunt?
Cur non afficiant animos peccata sequutos
Corpora? vt in vitæ coeant commercia secum?
An non id Romæ suggessit Apostolus vrbi?


Perso-

Personam afficiunt æstus, & frigora terris
Surgentem, iunctimq. trahunt, sua pignora sortem,
Commoda personæ, quæ semine ducitur Adæ
Corrupto, fuerant, si lucra beata parasset.
Hæres implicitè vel, quæ fugienda, recusat,
Vel cupit implicitè, si fortè sequenda videntur,
Spes aluit patres, nobis spes illa placebat,
Quæ voluit potuisse Deos fecisse putatos:
Excidimus, fidei in Christo nos anchora firmat,
Vtilis ista tibi, si sunt sibi commoda, spes est:
Tu potes à meritis Christi seiunctus? & actu
Insinuasse Deo pectus, mentemq. fidelem?
Gratia sustentat, nec defecisse cadendo
Sistimus: heu miserum, si tota recesserit, orbem.
Forma animi, atque operum si non es Christe meorum,
Informes animi fuerint, operumq. labores.
Dogmatis auctorem agnosco, se Christus ab illo
Subtrahit, infandis thura impia miscet idolis.
His alij quidam penitùs contraria iactant,
Versuti Monachi, quorum liberrima corda
Esse velint, animos dum libertate superbos
Deijciunt, & cuncta Deo tribuisse videntur,
Vt quasi seu pecudum, siue insensata volucrum
Corda geras, & nulla homini decora ampla relinquant,
Ignari vis innatæ, sensusq. reflexi,
Extremas vitiorum oras de more sequuti,
Eligit obiectis animus commotus apertis,
Eligit, alterutrum vi libertatis amando,
In certos pellens actus, quocunque voluntas;
Si subigi nolit, nulla virtute mouetur,
Transcendit cælum, cursuq. superuolat astra,
Gratia

Gratia proponit meliora vt talia menti,
Arripit ista sibi, vt possit repulisse, volendo,
Non tamen, vt possit, reputans meliora repellit:
Si non cognoscat, vel non meliora putentur,
In peiora ruit, quia sic electa fuerunt.
Infantes iræ partus sua damna sequuntur,
Præmia percipient, qui per Baptisma resurgent;
Implicitis votis vice succedentibus actus.
In Mauros Augustinus cum missus abiret
Verborum, atque animi magna vi territat, armis
Turbas miscentes plusquàm ciuilibus vrbes:
Impia tunc abolet penitùs quamplurima rerum,
In sanos populi retrahens fera pectora ritus,
Effingens mores hominum virtute reorum.
Insula in Oceano, quà se demergit in vndis
Lux reuoluta, iacet, quæ dicta Minorica gēti est:
Hùc Diui Stephani cineres cum fortè subirent
Consilio superùm, vi tempestatis adacti,
Vicerunt motas noua per miracula gentes:
Ergo Iudæi fidei Baptisma sequuntur.
Cognita res alibi iustos accendit, vt ædes
Ipsorum ex ritu sacras incendere vellent;
Alma dies quò certa foret, qua pascha nouatur
Errore ablato sub noctem paschatis ipsam
Prosiluere vndæ sacro de fonte salubres.
Zosimus occiderat: clerus conuenerat vrbis
Sacrorum renouare ducem, patremq. piorum,
Pontificem ac terris statuisse in tempora summū.
Vota cadunt studijs paribus discissa duorum:
Bini Christiadum satagunt inuadere Regnum,
Contendunt ambo conscendere culmina sedis,
Vt res impellit pro se sperasse fauorem,
Legitime electum se dicit vterq. vocandum,
Pastorem iustè supremæ sedis habendum.
Multi

Multi astant plausu turbas miscere parati,
Extimulant animos non demisisse superbos,
Stat certare armis, & non cessasse tumultu,
Contra obuersantes certi defendere caussam,
Quippe, aiunt, noster coetus, sibi quiq. studentes
Dignior, vt possint alij desistere coeptis.
Eulalius fueras vnus, Bonifacius alter.
Ductorem, occiduis qui sceptra gerebat in oris,
Posset vt à populo rerum dissensio tolli,
Symmachus assumpto fecit pro munere certum;
Is Romæ præfectus erat. discussa duorum
Res docet ambiguos casus, ille vndiq. ab orbe
Accersit sacrum decernere digna Senatum;
Propositis Roma pastoribus interdixit,
At Spoletinum, quæ forte opus esse videret,
Intereà supplere monet per singula patrem.
Incerti pendent animi: contraria vulgus,
Vt studium, seu vota trahunt, de more tuetur:
Enutrit dubias magis expectatio sortes.
At Deus affectus actu discussit iniquos
Eulalio expuncto Roma, quippe ille morarum
Impatiens media penitus sub luce dierum
Vesano reditu subit infelicius vrbem.
Ergo reijcitur iussu ductoris, vt ausu,
Quo temerè est vsus, causa cecidisse probetur,
Inq. gradus primos, sacri in fastigia Regni
Assumptus trahitur Bonifacius, æmula pulso
Corda gerens iusto ex voto, studijsq. fauentum,
Vt scires excelsa Dei rerumq. piarum
Præmia solùm animi digna censenda modesti;
Non etiam fouisse hominem per gesta superbũ.

FINIS.



ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER TERTIVSDECIMVS.





Assumptis Petri vicibus, Regnoque sacrorum,
Cœperat Ecclesiæ scissas componere partes,
Expuncto Eulalio Roma, Bonifacius vrbe.
Is Nepesinis prælatus ciuibus hæsit
Postea, quò patrijs desisteret obuersari,
Occiduus ductor, dum commendasse laborat
Christiadum cætum pastor sibi, commonet acri
Romanum cura clerum cauisse tumultus,
Cesset vt ambitio cæcas extollere mentes.
Quippe alias, inquit, si contendisse parati
Inter se bini fuerint, pelletur vterque,
Vt noua consurgat communi electio sensu,
Nulla pro lectis intercedente querela.
Iulianus Capuæ præsul, dum pectora vanis
Doctrinis aperit, sensu iuueniliter errat:
Incusat reprobe iustos, tecumque Pelagi
Vi putat humana cælesti sede potiri,
Euacuans Iesu bona immortalia Christi,

I Sci-

Scilicet idem etiam sine sole videre colores
Nos dicet media penitus sub luce dierum,
Scilicet ad vitam vel piscibus vnda supersit,
Vel formæ rebus, siue actus inutilis esto.
Condemnat scripto tamen Augustinus eundem,
Conceptum in sanum cupiens reuocare rebellē.
Gratia perpetuo fluxu velut imber ab astris
Decidit: afficitur supero madefacta vapore
Mens hominum, sensim donis cælestibus aucta,
Vt nunquam desit ditasse beatius orbem.
Ex caussa scelerum per iusta examina patrum
Pastores quidam Libiæ de sedibus acti,
Appellant pulsi Romam, seseque tueri
Iudicij nouitate parant, & fallere verum.
Cognita depositis tandem fraus obstitit ijsdem,
Hos fauor humanus quamuis tutarier ausit.
Africa tum visa est Romani incerta parentis
Detrectasse iugum, proprio dum contigit vti
Arbitrio in rebus sese ductore nouandis;
Scilicet admisit fugientum ad tuta querelas,
Fultus iure patrum cesso diuinitus vrbi.
Vt tamen ascitis quærantur commoda iustis,
Pro populi studijs rogat Augustinus eundem,
Vim fugiat, pacemque velit, quò scandala vitet;
Nam Fussalensi non excepisse repulsum
Pro noxis ciui steterat, Primate sequuto
Illum armis Lybico, ac verbis fouisse scelestis.
Eustochium virtutis opus sectata recessit
Ad superos abiens virgo clarissima terris;
Successit fatis iunior quoque Paula supremis;
Assensu cessere pari Pinianus in arctum
Præclaræ vitæ genus, ac Melania coniux.
Multa Palæstinæ telluris hiatibus hausta
Oppida sunt, villæque simul: sic cæpit haberi

Quæ-

Quæstio iudicij non tum versanda supremi.
Septenis causam legat Bonifacius vnam,
Qua reus à clero factus iam Maximus esset,
Maximus in Gallis pastor Manichæus habēdus.
Judæus fuerat sacrum Baptisma professus,
Lucro expectato mentem impellente nefandam,
Sæpe, sed hæreticis forma delusus inani
Deludens pariter, re non currente sacrorum.
Idem alias nostris iam tandem accesserat, vt sint
Plenè impressa animo sacra signa, at gratia desit
Quæ gratum faciat, Christoque innectat amicè.
Ergò spe vana lucri perductus eadem
Sese iterum sub fonte parat mersisse sacrorum.
Deficiunt (mirum auditu) de vase liquores
Bis super infusi, at visi euanescere longè,
Nè scelus indignum contra Baptisma sequatur,
Iam semel afficiens per sacramenta rebellem.
Sic detecta viri fraus omnis, & impius error.
Augustus Cæsar dici Constantius audet;
Ethnica progenies, spe cæca illusa, sacrorum
Vanorum cultus hac tempestate nouandos
Expectat. verum ecce Dei manifesta perurgent
Judicia, vt solui misera sub sorte subactum
Ædibus euersis felicius accidat orbem.
Sic Vrso quodam latè suadente tribuno,
Hic Manichæorum vesana arcana retexit
Fœdauitq. dies, ac mystica tempora rerum,
Victorem errantem compescuit Augustinus:
Ille animos hominũ posuit quasi nomine sectos,
Ac potuit sanæ fidei traxisse Leporum
Errantem Monachum, sibi qui fidisse repertus
Sic, vt dona Dei nostra de mente repellat.
Ecce autem intereà rescisso fœdere pacis
Exoritur bellum in Persis turbare paratis

Romanas acies, coniuratasque phalanges.
Christiadæ extincti latè, Isdegerde Tyranno,
Seu genito Baranane diù impugnante fideles.
Plura recensentur facta immanissima Regum,
Pluraque iustorum per clara exempla virorum,
Qui duras obiere neces, durosque labores
Pro Christo, vt potius spoliari corpore vellent,
Quam cecidisse fide, ac sensus fouisse rebelles:
Militibus similes, qui deseruisse probantur
Castra sui Ducis, aut fraude, aut terroribus actis.
Felices, quorum semper meliora vigebunt
In superis monumenta locis, & gloria semper,
Nobilis ac vitæ non marcescibile pondus.
Vos ego si taceam, quoniam non fama supersit
Nominis, immensum par est coluisse tacendo,
Ne male virtuti quicunque negentur honores,
Fraudariue suis meritis contingat honestum.
Audas pastor erat, Pyræum incendit, idolis
Extructum egregie Templum, flammæq. voraci:
Stat menti nequaquam ædes renouasse nefandas
Vt cogant hostes, occumbere certus iniquis
Persarum manibus, fidei nec prodere leges.
Ergò perit terris, animo translatus in astra.
Saracenorum bello tutantia Persas
Millia sub centum diuinitus acta pauore,
Aufugere locis se præcipitantia in vndas
Euphratis. quo parta fuit victoria casu.
Tunc Amidæ pastor, qui dictus Acacius esset,
Monstrauit, quantum virtus diuina moueret
Electorum animos in contemnenda bonorum
Pro iustis, sacra quippe tulit vasa aurea, vt armis
Oppressos, bello captos quasi millia septem
Im-

Immerita de ſorte trahat, redimatque redacti
Sub iuga, Chriſtiadum populi, ſectæq. fidelis.
Tres paribus ſtudijs hac tempeſtate piorum
Conſtanter ſubiere necem, crudoſque reatus,
Vt fidei Chriſti hærerent, Chriſtumq. fouerent:
Hormiſda illuſtris, Suenus, cui mille ſubacti
Iuſſa faceſſebant famuli: pariterque decorus
Beniamin gradibus, queis ſacra miniſtret in aris,
Diaconus quondam, Chriſti mox hoſtia factus.
Perſa fuit Iacob dictus, qui forte negarat
Pœnarum terrore fidem, deſertor honeſti:
Ecce autem vxoris monitis, matriſq. querelis,
Et Chriſti meritis ſortem reuocatus eandem,
Diſcrimenque ſubit, cupiens ſarcire prioris
Nequitiam facti, aut aliqua ratione mederi
Contractis animi maculis, propriæque ſaluti.
Ergò offert iterum ſeſe per dira necandum
Pœnarum iniuſto latè purgamina Regi.
Expleta eſt penitus rabies veſana Tyranni,
Quippe minutatim cecidit conciſus in omni
Membrorum articulo noua per tormenta labores
Bis decies replicata ferens diſcrimina mortis.
Dux Saracenus cœleſti lumine motus
Sub iuga conceſſit fidei digniſſima Chriſti:
Tum ſenior ceſſit feruens Hieronymus annis
Diuini eloquij, ac morum celeberrimus actu.
Auguſto ſimulachra ſui Conſtantius audet
Mittere: reiecit princeps Theodoſius iſthæc,
In ſortem Imperij ne ſe fortaſſe vocatum
Propterea putet, ac ſocium ſe dicat habendum,
Ergò bella parat contra contendere certus,
Ille idem Auguſti nomen retinere laborans,
Quæſitum ingenti ſtudio, curaque ſuperba:
Attamen ecce cadit miſere, fatumque ſupremũ

Expertus videt, ac sensus vitamque fugacem:
Eudociæ Iunior Theodosi iungeris, olli,
Quæ poterat celebrasse tuas per carmina laudes
Ac Persas acie victos, hostesque recisos.
Tem vero Patroclô intrusum Bonifacius arcet,
Hillarium instituens, qui rem cognosceret omnẽ
Namque Arelatensem pastorem eiecerat idem,
Herotem dictum, Narbonensisque ducatus,
Intrarat fines socialia fœdera rumpens.
Deuicti bello sunt Maximus, atque Iouinus,
Inuasisse auidi Regni diadema decorum,
Vt subito miseros videas, qui penè tulerunt
Summa, nec in vanis discat quis fidere rebus.
Thrax Augustino sese insinuasse laborat,
Nomine dictus erat Bonifacius, inclytus armis,
Militiæ dux ille fuit. monet ergò ferocem
Idem Augustinns frænasse potentius actus,
Ac sensus animi fœdos, mentemque rebellem.
Quidam è militibus sacros turpauerat artus
Virginis indigne. quæstus deformia rerum
Augustinus erat, sed non est passus eundem
Sonti inferre necem, ne mansuetudo repelli
Forte videretur, quæ consona moribus esset
Christiadum patris, seruatorisque piorum.
Maximius quidam, quidam Pascentius vna
Augustinum ipsum per verba lacessere visi,
Arrianæ vt fidei sensus tuerentur inanes,
Perfidiamque trucem, oppositis sermonibus vsi,
Conceptus animi varios iactasse feruntur.
Tandem Augustinus, nè detrimenta piorum
Causa per insidias late patiatur apertas,
Rem scriptis aperit, pariterque redarguit hostes
De templo in mortem rapuit Bonifacius atram
Sontem forte virum, violato iure sacrorum:
Ple-

Plectitur infelix raptor de more recepto
Censura eiusdem merita, reuocatur in ædes
Vim passus primas, noxamque fatetur iniquam
Effundens lachrymas Bonifacius ipse modestas.
Sic pelli templo metuit, dum templa vereri
Negligit, & sacrum iniuste temerauit asylum.
Occidit occiduis inuictus Honorius oris:
Imperio intrusit se, qui prætorius illic
Præfectus fuerat, patrij dixere Ioannem,
Constantinæam Legatos misit in vrbem
Augusti sortem affectans, & nomina poscens.
Legati interea duro sub compede tenti,
Inde Ardaburum, qui sese opponeret hosti,
Destinat: is, duris à tempestatibus actus,
Æquoreosque maris tractus expertus iniqui,
Incidit in turmas, quæ se deferre Tyranno
Sede Rauennensi festinauere moranti.
Aspar at in cursu diuinitus alite doctus
Ex Ardaburo genitus sub imagine certa
Pastoris terras inuadere certat, & ausu
Improuisus adest forti, victorque Tyrannum
Opprimit: audita fama Theodosius egit
Donorum authori grates. mox Ætius Hunnos
Dura in bella trahens post cædem vtrinque peractam
Datque, capitq. libens dextras in fœdera pacis.
Hispanis tandem profugus concessit ab oris
Alter militiæ princeps Castinus in vrbes
Arentis Lybiæ queis se Bonifacius ante
Contulerat mores vitans, mentemq. superbam
Castini eiusdem, per sacramenta recepti.
Vltima fata videt pastor Bonifacius vrbis:
Sufficitur Cœlestinus, cui gratia pleno
Arrisit vultu: namque à conceptibus ipsis

Damnatus, pariterque libri per ſcripta notati.
Dalmatium monachum ſibi delegere piorum
Cyzica turba patrem, Proclo de munere pulſo,
Scripta Auguſtinus ſua retractaſſe refertur,
Eradiumque ſuæ ſedi ſuffecit habendum
Paſtorem ex placito cleri, populique probantis;
Occiſi Titus, & Patroclus, quorũ ille putãdus
Iuſtorum è numero, ſcelerum hic retuliſſe reatus
Diuus Honoratus Patroclo ſucceſſit iniquo.
Ecce autem Lybicæ præſes Bonifacius oræ,
Quorundam inſtinctu cœpit male olere virorũ,
Sic quaſi in Imperij procurrere vellet habenas,
Id quia Vandalicæ ſeſe miſcere puellæ,
Connubio poterat, ſtirpemque fouere rebellem.
Conſulit interea Bonifacius Auguſtinum:
Arguit is cœcos actus, ac turpia morum
Ante patratorum, admonitu per verba fideli
Abſterret geſtis animos merſiſſe nefandis.
Decretum eſt contra bellum, quia fortè recuſat
Ductori parere ſuo: reuocatus in vrbem,
Imperij caput occidui, ſedemque ſupremam
Fama eſt, Ætiaciſque dolis, & fraude furenti
Deceptum renuiſſe hominem diſcrimina rerum
Poſcere, vt iniuſtè iuga detrectarit habenæ.
Ætius impoſuit mentemque, actuſque rebelles,
Inde cauere virum iubet, ac fugiſſe vocantem.
Ergo commotæ gentes, tandemque perempti
Sunt armis plures: Sigiſuultuſque coegit
Suſcepta belli cura valida agmina, contra
Inſiſtens, triplicem interea Bonifacius armat
Barbariem, cuius pariter diuiſit in oras
Agmina lecta hominum, triplici certare paratus
Scilicet Hiſpano cœtu, cui iunctus Alanus
Vandalicuſque fuit, ſortiti fœdere terras,

Si dabitur vicisse hostē, ac repulisse sequentem.
Ergò omnis Lybiæ regio perpessa feroces
Inuadentum animos iuga sub durissima cessit.
Scilicet Arriani late inuexere rebelles
Circumquaque suum sensum, moresq. malignos:
Tanta vel à modicis surgunt discrimina rebus.
Virgo diues erat clarissima stirpe parentum:
Hæc quoniam baptisma iterū fugisse reperta est
Obtruncata fuit varios experta labores.
Signa Crucis Domini pietate vrgente magistra
Christiadum iussere Duces vbicumq; colenda,
Ne iacerent proiecta solo, pedibusque terantur.
Tunc tua cœperunt totis Chrysostome terris
Magnorum obsequio celebrari nomina Diuum:
De cœtu eiecti rursus, seu forte piorum
Massalianæi Hæretici persistere certi
Dogmate sub falso, sensuque ferente repulsam.
Iam Theodoreto tibi Mopsuestena placebant,
Indigne vt celebres: fons illa fuere suorum
Eoo in populo, radixque nefanda malorum.
Vandalicos populos Dux Gensericus agebat,
Africa vastata est nullo obsistente virorum:
Causa fuit tanti sua cœca libido reatus.
Ætiaca penitus iam proditione retecta
Rursus amicitiam, semota pectoris acri,
Oblatumque decus repetit Bonifacius ira;
Vandalicamque manum oppugnat, tandemque
recepit
Hipponam sese dura obsidione petitus.
Gallia, quæ Rheni glacialibus adiacet vndis,
Ætiaci Comitis cura, studioque reuicta est
Expulsis Francis, quorum subiecta fuisset
Seruitio, & quorum trucibus concesserat armis.
Arguis hæreticos, qui Sacramenta salutis
Acti-

Actibus extremis attrito ex corde negarent,
Maxime sub Cœlo Rex Cœlestine sacrorum,
Iudicium statuis contra Danielis iniqui
Infandos actus, qui Massiliensibus esset
Appositus pastor, si forte necesse moueri
De gradibus fuerit, malè quos cepisset adeptus.
Nestorium Græci Monachum præferre laborãt
Ex Mopsuesteno didicit qui plurima sensit:
Constantinæa pastor succedit in vrbe,
Hæreticos primò exagitat sermone frequenti,
Incenditque domos, quas hi sacrasse volebant.
Attamen ipse nouæ mox impius hæresis author
Insurgit, Mariam, quæ Christi Mater Iesu
Vere esset, Matrem dicens non posse vocari
Diuinam verè, quasi sit Persona creatæ
Naturæ in Christo sub tempore facta recenti,
Personam ignorans vnam substare duabus
Naturis, Maria vt meritis sermonibus olim
Pro Christo genito Mater Diuina feratur
Atq; Dei Genitrix, non qua Deus esse docetur
Christus, sed spolijs qua se mortalibus auxit
Naturam humanam assumens, quæ forte creata
Persona, vt meta assumptum claudente carebat,
Dia persona fluxum impediente creatæ,
Eiusdemque vices penitus subeunte receptas.
Ergo Dei Verbi cum sit tua Christe, parentem
Dixero: nam Christus, Verbum Deus, esse probatur.
Obstat Nestorio nixu Cyrillus aperto,
Qui Cœlestinum pariter concurrere secum
Incitat, vt toto penitus reprobetur ab orbe.
Fauit Anastasius quidam imprudenter eidem,
Dorotheus quidam secum sectatus iniquum est.
Ecce Britannorum scissas delegat in oras

Palladium Cœlestinus componere Regnum
Corrumpi cœptū hæreticis, Germanus adactus
Et Lupus innocuæ famæ, morumq. piorum,
Ipso Palladio meritos cogente ministros,
Compressere ignem, male qui peruaderet vrbes.
Diui Germani placito Genouefa dicata est
Virgo Deo, simulachra Crucis donata recepit
Illa sibi, æterni venerabile pignus amoris.
Ecce furens pontus per vota coercitus hæret,
Et rabiem accensam Christi per nomina ponit,
Dum petit ex iussu summi pastoris eosdem;
In portus, tandem puppis delata resistit.
Concurrunt auidi Diuum vidisse Britanni,
Nam stigiæ poterant prædemonstrasse cohortes
Aduentum ipsius supera virtute coactæ.
Germanus populos cursu peruadere perstat,
Diuinæ iuxtà fidei præscripta docendo.
Ergo vt cognoscant sua verba fidelia gentes
Sacrorum tactu cinerum fugat illicò noctem,
Quæ miseræ iuuenis prius obrepsisset ocellis.
Forte casa læsus pedibus sub paupere degit,
Mox circumpositas vastant incendia sedes.
Sed, mirum, intactæ facibus sua tecta resistunt,
Respuitur, late humani medicina fauoris.
Aliger ergò astat, qui vulnere corpora purget.
Dura mouet Pictus, secum quoq; Saxonus arma
In Britonem; excipitur diuus Germanus ab isto,
Consuluit pia turba virum, dum dicere laudes
Insistit Domini Britonus, perterritus hostis
Terga dedit, subitoque fugit terrore subactus,
Vt palmæ duplicis tulerit Germanus honorem.
Nestorius Monachos falsis prætextibus vrget
Ingenio fauisse suo, rebusq. nouandis.
Edidicit Cœlestinus, quæ facta fuissent,
Cyrilli

Cyrilli ex dicto, qui contemplatus iniqui
Dogmata Nestorij scripto admonet. ille superbum
Responsum emisit renuens resipiscere ab actis
Doctrinæ infandæ, quã vult intrudere in orbẽ
Saracenorum Dux Petrus Episcopus esto,
Euthymius verbo reuocatur in acta piorum
Iam fictis animis, ac falso denique sensu
Nestorius pepulisse aurem, ac tentare laborat
Cœlestinum ipsum, sibi quò fauisse studeret.
Tunc ex Cyrillo pariter retulere sequuti
Sensum orthodoxum scripti monumenta recepti
Ex templo ex lectis patribus, sacroq. Senatu
Cœlestinus habet Synodum: damnata nouantis
Pectoris impietas, at Cyrillæa reluxit
Gloria virtutum, studiumque beatius auctum
Ex candore fluens animi in pietatis amorem.
Scilicet edidicit, quo fractus auunculus olim
Exemplo monitus procedere cautius, vt se,
Ac sua Romani supponeret acta Senatus
Iudicio, summique patris decreta videret:
Quippe ait, abstinui nostro depellere cœtu
Nestorium infandum, vt recto abscessisse viderẽ
Consilium à prima donec mihi sede negatur,
Nec sua conceptos confirmat epistola sensus.
Ergò suas misso Phrygio, (velamen honoris
Illud erat) cessisse vices, quo maior inesset
Authori quærenda fides persæpe bonorum.
Huic Cœlestinus per nuncia nota refertur.
Cyrillus phrygio, post in solemnibus vsus,
Et festis fuit; atque Ephesi subeunte piorum
Illuc consessu sacra in certamina patrum.
Interea reprobo, si fortè recedere sensu
Infelix vellet, præfinit dena dierum


Tem-

Tempora Nestorio Cœlestina a potestas,
Ne forsan contingat agi de sorte piorum,
At liceat retinere sibi commercia gentis.
Pastor erat senior Beroensis Acacius vrbis
Nestorij fautor, quamuis gratatus abunde
Posteà Cyrillo fuerit, quia namque fidelis
Ecclesiæ curas patrociniumque sequutus
Dignè prò meritis magna cum laude fuisset.
Antiochenus erat per tempora dicta Ioannes
Præsul amans veri visus: propioribus ausis
Huius, Nestorij refracta audacia pressa est.
Hic patrum Syriæ sensu, formaque recepta
Cœlestinæam, Cyrillæamque probante
Nestorio misit, sibi quæ fore digna putaret
Obsequio, & cultu iuxta præscripta perenni.
Sed verò æquiuocis hunc illusisse fideles
Actibus, actorum monstrasse sequentia possunt.
Cyrillus pariter quatuor delegat eidem
Nestorio ex lectæ Synodi constantibus actis.
Normam orthodoxæ fidei perferre laborant
Missi Oratores, necnon reuocasse rebellem
Nestorium in sensus per publica gesta modestos
Infelix renuit se subiectare docenti
Consilio patrum, & sanis conceptibus vti,
Quippe, ait, incusans coram ductore virorum,
Me me Cyrillus verbo insectatur iniquo
Commotis contra populis: tua digna videtur
Cura hominum rector retro repulisse nocentem
Errantemq. animo pariter, quippe ille cauendũ
Audet Apollinei proponere dogmatis vsum.
Hinc Theodoreto commissa est cura sequaci
Oppugnasse patres, ac Cyrillæa fouentes
Vafro consilio, quo sic contingeret olim
Iudicium solui cœptum, impunita manere
Dogma-


Dogmata Nestorij, siue irreprobata nefandi,
Cyrillo existente reo. certamen initur,
Quo se Cyrillus per publica scripta tuetur.
His ergo motus Theodosius, vndique patres
Excitat instinctu summi pastoris in vnam
Conuenisse vrbem, quamquam succensuit idem
Cyrillo immerito, quod Nestoriana repellat,
Credulus authori vafro sua dicta fouenti,
Assumptum à verbo, ac diæ virtutis ab actu
Ante hominem expressit lógo sermone Ioannes,
Cassianus dictus, cuius sudore salubri
Verba renarrantis quondam collecta fuissent
Sanctorum patrum virtutum ex lege docentum.
Barbara Gens Lybiæ late vastauerat oras,
Hippona, ac Cirtha tantū, & Carthagine saluis.
Tunc Augustinus Diuus mærore subactus,
Atque preces, & vota inter sanissima mentis
Non intermissis præscripto ex munere rebus
Decumbens meritis in Cœlum abscessit onustus
Fata ferens extrema, animo sublimia captans.
Interea salue pastor, Doctorq. fidelis
Iustorum Ecclesiæ, defensatorq. piarum
Virtutum, ac recti sensus, fideiq. colendæ.
Dicitur, extremi cum pressus acumine morbi
Forte laboraret, se quidam adijsse laborans
Inuicto pariter morbo, petiturus ab illo
Nocturno ex visu admonitus pro sorte leuamen
Aduersa, & tactu iuxta sua vota potenti
Motam intemperiem sensisse beatius omnem.
Vrbe Hipponensi non multo posteà capta,
Ex dono diuûm seruata volumina flammis
Sunt Augustini, ne tunc ambusta perirent,
Iacturamq. nouam faceret stirps alma piorum.
Confugère alias famuli sub templa querentes

De

De Domini feritate sui: dùm clerus eosdem
Eiecisse studet, post quendam è sorte virorum
Sacrorum occisum se confodére perempti,
Vitam infelicem peiori morte fugantes.
Sed vobis Domini quæ tanta insania sedit
Contra hominem sensu mentes armasse ferino,
Scilicet humanos casus aliena putatis
Damna, vt in aduersos non descendisse labores
Possitis, quasi sint vno cursura rotatu
Commoda, nec varios vnquam passura refluxus.
Esto eadem maneant, non vos æterna mouebunt
Vincula? queis socios vitæ melioris habendos
Speratis? non & pariter communior actus
Consilij? ac notæ secum rationis adurget?
Sic opibus nixos vos spiritus inflat inanis?
Subiectosq. animos indigna ferocia carpit?
Sacra Ducis iussu immunis decernitur ædes,
Securi vt profugi quasi complectantur Asylum.
Antiochus quidam gradibus delatus ab altis
Deijcitur, qui mox Cleri se nexibus arctat
Virtutum effigiem tenui sub veste professus.
Contempti rebus res sæpe repellimus ipsas
Commodè, vt in Christo cordis referantur amores.



E C-



ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER QVARTVS DECIMVS.





IAM Cœleſtinus pro munere, vt ante coactis
Patribus occiduis præmiſſo examine rerum
Deſtinat Arcadium Eoas contendere in oras,
Proiectumque viros, & iuncta ſorte Philippum
His perferre dedit fidei mandata probatæ
Ac ſenſus de Matre Deum gignente receptos
Ex vi perſonæ diæ generata trahentis
Nomina, naturamq. hominis ſua pignora ſecũ,
Perſonæ, ſeu ſuppoſiti ratione repulſa.
Conſedere Epheſi tandem Romana propago
Miſſi Oratores, Epheſus quippe vna locorum
Viſa retractandis opportuniſſima rebus.
Cyrillus celeri. conceſſit in oppida curſu,
Neſtorium hic reperit vafris pia pectora patrũ
Tentantem ſtudijs, atque in ſua vota trahentem
Defuerant Lybici, quianam bella ardua tenent,
Ac dubios horrore animos ſubſiſtere cogunt,
Quamquam Capreolus præmiſerat Oratorem,

Ca-

Capreolus pastor Carthaginis inclytus vrbis.
Tu tamen officio dees Antiochene Ioannes,
Contemnens, nectensq. moras, ne forte subires
Iudicium aduersum, quasi Nestorianus habēdus,
Dum renuis votis hominem damnasse receptis.
At tu Cyrus ades Cariæ, tu Petrus ibidem
Saracenorum, similis tu mentis, & actus.
Vrbe Melitina qui pastor Acacius esses.
Progenies Armena patrum fauere rebelli
Immeritò; comites quidam turbare parati,
Et versare dolos contra præscripta Tyranni,
Qui se communes præcoacesslisset in vsus.
Tercentum ferme fuerant ex orbe coacti.
Interea ex toto delegauere Senatu
Concurrentum vna quatuor de more vocantes
Nestorium reprobum, qui contempsisse refertur
Durum agitans animo responsum, actumque superbum,
Considerabo, inquit, causam, pariterq. videbo,
Scilicet examen fugiat reus & sua late
Crimina iudicio non discutienda frequenti
Prætereant, impune sibi vt persistere in ijsdem
Contingat, turpisq. animis contagio serpat.
Ter caput infandum potuere accersere patres,
Ter frustra cessere retro quasi vana sequuti
Missi Oratores, vt tandem occlusa vocati
Ostia sint, aditu quò sic prohibere liceret.
Vrbe Ephesi Templum fuerat, venerabile iustis,
Diuinæ Matri concesso ex munere sacrum:
Hic stabiles fixere gradus, iunctimque scelestos
Scrutati sensus controuertére petitum
Dogma, vt producta in medium sint scripta nefandi
Oris, & impietas, quæ Christū in frusta secaret

Per-

Personam addendo humanam, quasi bina duarũ
Adfuerit sibi subsistentia naturarum:
Effectus aderant ex vno fonte fluentis
Personæ verbi secum distincta ferentis,
A Patre non genito, siue à spiramine Dio;
Sic quatenus nostram naturam terminat actu,
Nec Diæ alterius personæ dixeris actus
Ni quatenus rebus solet influxisse creandis,
Quos per naturam assumptam produxerit actu,
Id quia nam assumptæ persona creata retusa est,
Vt nunquam effluxisse queat, postquam addita verbo est,
Verbo ipso supplente vices, munusq. retusæ.
Sic igitur si Mater eras Maria inclyta, Dij
Verbi Mater eras, vt non horrescere possim
Dicere te Verbi, qui sit Deus, esse parentem;
At Genitor, Verbum qui Numen gignit ab æuo
Tu paris illud idem, sed quà consorte fruetur
Natura tecum claro sub tempore partu.
Ergò Dei Mater semper dignissima salue,
Et saluete patres, qui sic docuisse potestis
Impietate animi, cœcoq. errore repulsis,
Præcipue salueto tamen Cyrille piorum
In patribus sensus qui sis moderatus eosdem.
In caussa, quæ iam fuerant peragenda, peractis,
Discussisq. patrum dictis, ac voce priorum,
Ac textu late sacro firmante repulsam
Personæ in Christo duplicis, decernitur vno
Consensu Diæ nomen Genitricis, & actus
Perpetuo ritu mentis celebrandus, & oris.
Hinc vice mutata quæ Nestoriana videbant
Ponere, veraci cæpere lacessere verbo.
Declarant omnes, quo per commercia vitent
Christiadæ reprobum, quasi morbida corpora factum.

At

At Synodus Nicena prius repetita refertur.
Sacri Euangelij Diuinum in sede volumen
Videris excelsa coram de more locatum,
Vt scires rebus Christum ipsum astare gerendis,
Ac scires patres inibi contenta professos.
Gens Ephesi commota fuit, postquã audijt omnẽ
Successum rerum, ac sanctam celebrare perenni
Laude instat Synodum, iunctos quasi fœdere patres,
Authoremq. Deum fidei, Diamq. parentem.
Excipitur plausu ingenti collectio patrum:
Deducti cessere locis. mox ecce scelesti
Nestorij publica damnatio voce sequuta est.
Postridie Cyrillus adest inuectus in ipsum
Nestorium coram patribus, cætuq. piorum,
Multa Dei Matris pariter sunt addita laudum,
Inde Ducem populi conatus reddere certum
Rerum gestarum, sibi quo fauisse luberet,
Ac placitum voto patrum firmasse recenti,
Nestorio infando, ac secum fautore repulsis,
His per Nestorium, sectatoresq. notatis
Fraudibus immerito sibi consuluisse laborant:
Ergo aditus tentant occludere protinus omnes,
Ne qua ductori gentis mandata ferantur
Iuxtà præscriptam ex Synodi dictamine formã.
Tum sua supponunt quam mendacissima scriptis
Cyrillum, & socios non expectasse Ioannem
Antiochenum aiunt, neque consensisse coactos
Cyrillo cunctos pariter finxere; repertos
Esse Ephesi plures, quibus haud concessa facultas
Explicuisse notas animi, aut concurrere eandem
In sedem, vt possent per vota implere, quod optent

Mu-

Munus, & assumpti fructus cepisse labores.
Talia mentiti comites, subuertere mentem
Ductoris rerum satagunt. interserit istis
Plurima Nestorius, seseque per acta repulsum
Concilij sic, vt reditus, ac tuta negentur
In patriæ fines: quin & deposcor inique,
Inquit, ad interitum vitæ velut hostis acerbum.
Ergo nouam appellat Synodum, si forte videtur
Hoc opus esse Duci, censetq. requirere causam.
Scripta nouem firmãt per publica vota sequaces.
Elapsis aliquot post talia gesta diebus
Antiochenus adest præsul contraria versans
A lecta in Christo Synodo, quippe ille repellit
Per contemptum aliquos patrum occurisse paratos,
Officij causa ex iussu, votoque piorum.
Tum male Cyrillũ incusans, & Memnona secum
Damnat, vt Hæreticos. missa exemplaria in vrbẽ
Constantinæam, quo sic turpentur ijdem
Cum sacra Synodo. mox & docuere recenti,
Et falso Ægyptum scripto, sibi visa nefandos
Dogmata Cyrilli, fœdosq. inuoluere sensus,
Id memorans quasi naturas confunderet ipso
In Christo binas, quod sit damnabile factum.
Ergo Isidoro arguitur Cyrillus: at ille
Damnat Apollineum publicè, qui talia sensit.
Victorem quendam pariter fauisse ferebant
Nestorio, sectatum eadem: qui denique semet
Purgauit. Verum per iuramenta coactus
Cyrillus, Memnonq. sacrum docuere Senatum,
Quæ contra se gesta forent. qui protinus instat
Missis legatis accersere velle Ioannem,
Qui renuit per contemptum aspernatus eundẽ.
Ergò reijcitur iustorum è sorte recisus,

Atque

Atque alij secum, qui sint obstare parati.
Descripta tabulis sunt nomina damnatorum,
Queis Theodoretus late fauisse studebat.
Interea decreta sacri Theodosius alte
Suspiciens animo se nondum habuisse Senatus,
Misit, qui patribus ferret mandata repertis.
Nomina Palladio fuerant mandata ferenti,
Ex Epheso patres non abscessisse coactos.
Palladius precibus victus, studijsq. potentum
Nestorianæis cœpit fauisse Ecclesijs,
Nequaquam vt passus fuerit, quæ rite putarent,
Contra Nestorium, & socios subscribere patres.
Cognouere dolos tandem collecta Senatus
Turba sacri, quo circa animo versarier instant,
Qua velut obsessa offusos peruaderet hostes:
Decernit quendam sub forma pauperis apte
Mitti posse Duci rerum, qui perferat omnem
Gestorum seriem vacua sub arundine clausam;
Non secus ac placuit factum, cælata retexit
Nestorianæas, quæ fluxit epistola, fraudes.
Cognita res totam meritò permouerat vrbem:
Prosiliunt Monachi coram ductore virorum
Conspicui virtute viri, reserare superbos
Peruersorum actus, potuit quos inter adesse
Dalmatius, Comarusq. vna, clarusq. Potamon.
Scripto Isidorus docuit discrimina certo,
Dalmatius mandata refert, iam posse coactos
Vrbe Ephesi patres, per quem sibi forte placeret
Admonuisse ducem rerum, quæ gesta fuissent.
Missi Oratores exponere cuncta parati.
Misit Irenæum Comitem, quæ schisma Syrorum
Turba fouet, falsis qui subuertisse laboret
Commentis purani decepto principe mentem.
Doctrinæ fama Beroensis Acacius obstat

Iam

Iam ſenior, quem Legatus commouerat hærens
Schiſmaticis Emiſenus, vt irrita redderet acta
Orthodoxorum, non inde abſcedere patres
Conſeſſuſq. ratos vtriuſque manere labores,
Conceptoſq. ſonos, donec conflata fideli
Inter ſe placito componere ſchiſmata diſcant.
Prætextu interea pacis qui fœdus iniret
Dimiſit Comitem princeps, qui rite ſequeſter
Tractandorum adſit, ſeu conciliaſſe laboret
Diſſidijs captos per rerum aſperrima patres:
Incautos pietas ſic eſt obſeſſa per actus
Principis, infandiſq. dolis, ac fraude malorum.
Ille Comes iuſte Cyrillum, ac Memnona pulſos
Declarat gradibus: diro tùm carcere preſſos
Mancipat, vt pariter iuſtè damnatus ab ijsdem
Dictus Neſtorius fuerit, quaſi bina ſub vno
Tempore Concilia oppoſitos proponere ſenſus
Contigerit recte, iuſteq. repellere pulſos.
Mentitur Comes interea ſublimibus actum
Cyrillum gradibus per vota frequentia patrum,
Vt hic Neſtorius, quem Cyrillæa premebant
Obiecta, in primos facilè reuocetur honores:
Schiſmatici latè quod tentauiſſe reperti,
Vt qui Cyrilli doceant per vota repulſum.
Iam Comes exagitat iuſtos, neq; paſſus eoſdem
Legatos miſiſſe Duci, tamen ecce monetur
Conſtantinææ Clerus felicius vrbis.
Res eadem memorata Duci eſt, patefacta reorũ
Nequitia eſt cunctis: dubius tamen ecce recurſat
Dux animo cauſas, ac rerum effecta nouarum.
Ergo ſepte nos ſibi delegarier vrget,
Qui verum edoceant, fictis, ac fraude remotis,
Vtraque quos patrum collectio ſciſſa miniſtret:
Tunc Romana acies Lybicis deuicta ſub oris
Tunc

Tunc eadem rursus ductore sub Aspare cessit
Hostibus arripiens diuersa per auia cursus.
Interea queritur meritò Cyrillus iniquis
Ansam impugnandi tradi sua scripta, nec ipsum
Carcere detentum se posse, aut scripta tueri;
Explicat illa tamen sub carcere scripta moratus.
Tu quoque Nestoriũ dignè impugnasse videris
Opposito Ancyræ Theodore volumine pastor.
Schismatici iussi sistunt Chalcedone cursus:
Orthodoxorum legatio sistit ad vrbem
Constantinæam, tandem experrectus iniquos
Reppulit, admissis quos vera fouere videret.
Declarat Syriam vanis conatibus vsam
Cyrillum, ac socios quondã acriter insectando.
Sæpius admissus persæpe repellitur hostis.
Tunc Theodoretus per publica verba sequacem
Nestorij fecit, Cyrillæumq. fatetur
Sese hostem immerito per quam imprudentibus ausis,
Vt personali Christum rescinderet actu.
Nestorij infandi stabilis damnatio mansit,
Pulcheria Augusta patrum fautrice piorum,
Præsulibus Syriæ tamen est concessa facultas,
Ne grauior gentis fieret scissura, reuerti
In sedes patrias, & commoda tempora in vnum
Coniunxisse animos, ac fœdera pacis inire.
Effectus anno res est sortita sub vno,
Mensibus incæpto quinis à schismate lapsis.
Vrbe noua Roma tu Maximiane sequutus
Nestorio expuncto munus pastoris obisti.
Pulcheriæ Augustæ studijs fabricata, steterunt
Templa superba Dei Genitrici, ædesq. sacrorũ.
Tum quoq; Irenæus Comes est eiectus ab aula,
Nestorij quoniam fautor per plura fuisset.

Nesto-

Neſtorius tamen ecce ſtudet reprobaſſe fidelem
Iuſtorum ſenſum, firmataq. dogmata rerum.
Sic ſæpe exemplis vitæ conceſſa nouandis
Tempora, peiores pariunt per ſæcula fructus.
Andræas quidam Samoſatæ effectus in vrbe
Schiſmatico Paſtor cætu, quia publica ſeſe
Hoſtem Cyrilli fuerat per ſcripta profeſſum,
Præmia vt indigno, turpiq. labore referret.
Quidam Gallorũ ſcripta oppugnaſſe frequentãt
Diui Auguſtini: ſed Cœleſtinus aperte
Laudibus in cœlum tollit miratus eundem.
Hæretico fuerat viru deceptus, & aſtu,
Poſtea Sulpitius didicit reſipiſcere ſenſu,
Æterna imponens, ac dura ſilentia linguæ.
Palladius docuit fidei mandata Britannos.
Gens Hibernorum paſtor complura Patrici
Fert accepta tibi in ſenſus traducta fideles.
Simplicius digno rexit ſudore Bourgem.
Extremum Nolane diem Pauline ſubiſti,
In patrias Lybicis poſtquam es dimiſſus ab oris,
Ex voto viduæ virtutis amore colendæ
Sub iuga ſeruitij mutata ſorte retractus.
Vt factum exemplo ſimili ſequerere magiſtri.
Fama tulit Regi tibi Cœleſtine ſacrorum
Neſtorium gradibus pulſum, ſenſuſq. rebelles
Quos ſecum impietas dederat, de ſede fugatos
Gratarís iuſtis, Theodoſius ipſe monetur
Ablegaſſe virum, quaſi peſtem longius atram,
Inde cadis feto late deuictus acerbo.
Digne Romana paſtor ſuffectus in vrbe
Sixtus erat, qui ſollicitus ſarcire recenti
Schiſmate diſtractos populos Orientis abunde
Neſtorium damnat, ſenſus fouiſſe fideles.
Hortatus primo: mox Antiochena Ioannis

K Oppi-

Oppida dissidijs longè firmata superbis
Antiquos repetisse docet per plurima cursus.
Tu pariter suades, ò Maximiane Ioanni
Coniunctos monstrasse animos, tecumq. laborat
Princeps Imperij scissas componere partes,
Vnanimesq. videre patres, sociasque cohortes.
Ergò Cyrillum Diuum, abscissumq. Ioannem
In Nicomediensem concurrere præcipit vrbem
Vt coeant animis, si forte recedere curent,
Aut ibi perpetuo degant per tempora tractu,
Si dicto perstare velint, ac mente rebelli,
Communem obliti Ecclesiæ, propriamq salutē.
Aristolaus pro causa submissus eadem
Compulsurus erat decreta implesse Ioannem.
Stilites Diuus, Beroensis Acacius vna
Intercessores fuerant, quo fœdera tantæ
Pacis inirentur suppresso schismate rerum.
Ergo parat fecisse satis per plura Ioannes
Nestorium vt damnet, iam concurrente Senatu
Pastorum Syriæ secum, pariterq. fideli
Adiuncta fidei forma, quo Christus Iesus
Naturam fertur duplicem texisse sub vno
Personali actu verbi: tum mittit in vrbes
Paulum Ægyptiacas Emesenum, vt dissita tētet
Pectora Cyrilli in sensus traxisse receptos.
Id quia Concilij iuxtà decreta probati
Visum, perfacili potuit complesse labore.
Ergò Emesenus ait gradibus subnixus in altis,
Electis coram populis, & classe piorum:
Virgo Deum Verbū Genitrix peperisse feratur.
Quippe Deus Verbum, humanos feliciter artus
Assumpsit, mentemq. hominis, quæ iuncta sub aluo
Virginea, (mirum,) vitam traxere per ortus,
Per-

Personæ humanæ penitus suitate repulsa
Excipitur plausu ingenti confessio Pauli
Cyrilli replicata sono, sensuq. sequaci.
Sic stabili concepta fuit pax aurea nexu?
Iam Theodoretus, qui fouerat impia nequam
Dogmata Nestorij, nequaquam desistit ipsum
Authorem coluisse animo, simulataq. contra
Cyrillum iniuste seruauit pectora, donec
Humana morum eiusdem ratione subactus
A sensu nequam, sensusq. authore recessit.
Iudæus Moysem cum se fecisset, in vndas
Præcipitare iubet socios, qui forte sequuti
Ipsum imprudenter fuerant: sed cognita fraudis
Forma, retro potuit reliquos traxisse sequaces,
Vt tamen impulerit sensus subiisse fideles.
Brictius appellat Romam depressus iniquis,
Redditur, & patriæ septem post tempora pulsus
Ætiacum bello superat Bonifacius acri:
Ætiacus bello victus fugisse laborat,
Atq; Hunnos repetit, quia nam insectatus eundē
Hostis, vt in mortem se traderet importunam.
Pacem inter summos tanto sudore paratam
Dux iterum stygius subuertere nititur hostis
Quorundam instinctu, male qui fecisse Ioannē.
Qui sua Cyrillum quōdam in commercia dicūt
Admisisse prius, quam scripta refelleret idem,
Ob quæ turbarum sit scissio cæpta nouarum.
Ergo Cyrillus, quo sedauisse tumultus
Commotos posset, sua discutienda Ioanni
Et Syriæ patribus misit, mollire superbos
Offensorum animos per plurima gesta laborans.
His Theodoretus contraria dicta retorsit,
Vt tamen in sensus animum reuocarit eosdem,
Postea Cyrilli mores veneratus, & actus.

Indigne cecidit, quæcumque fuisse feratur
Causa, vt Nestorio noua sit concessa facultas
Degere cum Monachis, quorum prius extitit
vsus.
Ecce Rauennenses functo pastore diebus,
Expo scunt à Sixto alium decernere terris:
Tum per visum adstant, Petrum in diuina pe-
tentes
Munera Apollineus, qui munera sacra locorum
A Petro Diuo per tempora prima recepit,
Ac Petrus, Romæ tenuit qui munera primus:
Effectus docuit cœlestibus esse vocatum
Consilijs Petrum, quia nam præclarior actus
Virtutis diuum celebrat de more parentem.
Postea Chrysologum, quoniam vox aurea, dictũ:
Iam Diuus Prosper seiuncta fæce, libellum
Cassiani expurgat permixta errata refellens.
Non placeat vobis intermisisse labores
His similes, nam digna manét vos præmia iusti.
Concilium est habitum Romæ quo vera pateréẽ
In Sixti causis, quem Bassus Anicius vrget,
Immerito exagitans per rerum indigna malarum
Damnatus iuste Bassus proscribitur idem,
Vt tamen in Sixto virtus defensa decorem
Sumpserit, inuidiæ radicibus vrbe repulsis.
Iam vero expuncto tibi Maximiane diebus
Successit Proclus, cui sunt delata piorum
Corpora dena quater diuinitus inuentorum.
In mare deducit precibus Syluanus onustam
Frumento nauem, quod non potuere frequentes.
Vim magnam argenti supra sexcenta librarum
Pauperibus diuisit ouans Theodosius author,
Vndiq. frumento dura pro sorte leuanda
Angusti victus, male qui vexaret, inempto.
Galle

Galle Lerinensis qua tempestate vigebas,
Virgo fuit, forma pulcherrima, respicit vndis
In medijs nudata artus simulachra nefandæ,
Ac fœdæ Veneris, quo se iactauerat actu
Consimilem, vanis penitus dilusa figuris.
Ergo puellares mens obsidet infera fauces,
Permittente Deo, quo sic oppansa meatus
Obstrueret, paritérq. diem remoueret, & actus:
Dicitur infandos, cùm Dæmone pressa, per artus
Excepisse escas sua non per guttura posset,
Sacratis tandem sanata cruoribus esse
Infusis ori, stygiumq. fugasse tyrannum.
Nestorij libri præscripta lege cauentur.
Sed male Nestorius per Mopsuestena fideles
Infecisse studet vulgata volumina terris.
Quin etiã, (infandũ,) externis sermonibus, vsus,
Incautos hominum quo decepisse liceret,
Armeni lecta Synodo reprobasse laborant.
Cyrillus pariter per scripta volumina contra
Insequitur, Proclusq. vna præmissa refellit
Re bene, discussa per longa examina patrum.
Tu quoque Tarsensis Diodore refelleris vna,
Hinc quia Nestorius sua decerpsisse videtur.
Gundicarum Regem Gallorum, Regna tenentẽ,
Ætius obtinuit bello, pacemq. petenti
Donat, vt Hunnorum sit posteà perditus armis.
Germanus Diuus, quia forte Britannia rursus
Peste Pelagiana inficitur, subit illicò Regum,
Vt rursus gentem expurget fallente veneno,
Assumpto secum pariter pastore Seuero.
Res cadit ex voto, dum per miracula rerum
Doctrinam verbi, quam vita modestior omni
Virtutum splendore ornat, firmasse laborat.
Ætius Armoricos, qui defecisse reperti,

Repressit bello: Diuus Germanus eundem
Repressit precibus victos vastare minantem.
Mittitur Italiam Diuus Germanus, vt ipsos
Principibus populi iungat per fœdera pacis
Armoricos iterum, qui defecisse studentes
Paci omnem per verba viam obstruxere petitæ.
Placidia argento decorat Regina sequutum,
Missis muneribus, cui contra is vilia donat,
Vt Reges discant fastus posuisse superbos.
Rex exoratus soluit de carcere vinctos
Eiusdem precibus, qui mox reuocauit ad auras
Vitales vita functum, purgatq. superna
Pestibus affectum vi secum obstante caducis.
Occiderat senio diuus confectus ibidem,
Atque Rauennatem late ditauerat vrbem.
Defertur pars certa viri, quo regna reposcat
Patria. dum repetit, mulier paralitica tactu
Libera facta sui pheretri, morboq soluta est
Contracto penitus. fœda vt contagia cessent,
Christiadum sancita Ducum quæ iura fuerunt
Edicto, edictis cogit Theodosius auctis.
Iam soror occidui ductoris Honoria Regno
Mota suo, Eugenij quod credita turpis amica est
Nestorius tandem exilio mulctatus ad vrbem
Ægypti Patras, putredine corpora turpi
Consumptus, linguam, corrosaq. vermibus ora
Perpessus, cum viuus adhuc vitalibus auris,
Humanis & rebus adhuc contingeret vti,
Condigne pro sæua animi impietate solutis
Iustorum Ecclesiæ pœnis, superoq. parenti,
Occubuit misere, sensuq. cadente recessit.
Domnus erat, natus qui forte sorore Ioannis
Ipsius tenuisse gradus memoratur ibidem
Ex Monacho, postquã decessit auunculus annis.
Dum

Dum Gensericus Lybicis dominatur in oris,
Impietas Arriana, furit pastoribus ipsis
Iustorum Ecclesiæ proprijs ex vrbibus actis.
Ex vera fidei causa, & pietatis amore
Innumeri duro ferri cecidere sub ictu.
Quo vos Hispanam sobolem, Arcadiumque, Probumque,
Paschasium, Eutychiumque viros celebremus honore?
Qui vestro Lybicas ditastis sanguine terras,
Æterni Verbi per gesta fidelia testes,
Conspicui virtute animi, rebusque paratis.
Humano sensu, quos præclarissimus inter
Arcadius partum decus aspernatur, & aurum,
Blanditiasque animi molles, thalamiq. iugalis,
Pastor Honoratus misso suasisse libello
Dicitur aduersos constanti ferre labores
Pectore, & vnanimē cœlestibus addere mentem
Ergò exhortatus Rex Gensericus eosdem
Prodere corde fidem, dum consensisse petitis
Ingenue renuunt, primum propellit ab oris,
Exilio plectens acri, tandemque perempti,
Pœnarum duros nimium subiere dolores,
Vt misere affecti, misera non sorte subacti.
Te dicam puerum specie, vultuq. decorum,
Qui mente, atque animo longe formosior esses;
Nomine Paulillum, cui Rex cœlestis Iesus
Extinxisse potest Regis mortalis amores.
Ecce diu pateris duro sub verbere cœsus,
Vt cedas cœsus: sed vincere deniq. perstas,
Quamquam seruitio vitæ damnatus acerbo,
Tu puer Eutychij frater, tu frater eidem
Paschasio similes diceris adeptus honores,
Membra licet pueri nō sint absumpta per hostes

Occiduo coniuncta Duci est Eudoxa marito
Eudocia ex voto Solymam peregrina petiuit
Principis Eoi coniux, quia vidit eandem
Eudoxam, vt cupijt, nuptam, iunctamq. marito
Attulit hinc Stephani cineres, venerata piorum
Turba fuit Diuum, quia nā sua credita pars est;
Attulit & Diui quæ ferrea vincula Petri.
Pars missa Eudoxæ, sacras cui condidit ædes,
Quæ monumenta manent iam nunc celeberrima
Romæ:
Hic vbi iuncta sibi diuinitus altera pars est,
Qua vinctus Romę quondā Petrus esse refertur.
Tunc etiam celebri Diue o Chrysostome pōpa
Corpora ab externis tua sunt delata comaris.
Missi Legati quondam retulere repulsam,
Vt steterit nulla penitus vi mobile corpus.
Consuluit patres patriæ Theodosius vrbis:
Reddita communi defluxit epistola sensu,
Quæ pacem rogitet Diui venerabile corpus.
Exorata sinunt populo inspectante moueri
Membra loco sese, vt notam referātur in vrbem.
Regia pulsa ratis vi tempestatis, & vndæ,
Disrupit petras, postquam Chalcedone cessit.
Inde serenatos monstrarunt sydera vultus.
Constantinæam deuenerat illa sub vrbem:
Illati sacri cineres in templa piorum
Concursu ingenti facto per nota viarum.
Obstupere auditi manes, ac membra parentis
Reginæ dudum fuerunt tumulata sepulchris
In pœnā sceleris, quo Diuus abactus ab vrbe est.
Dux pro matre rogat, requies tunc parta reatus.
Discite mortales cauisse lacessere iustos.
Expulsus quoniam Diuus per gesta malorum
Viuus adhuc de sede sua non iure fuisset

In

In sedem vita funestus defertur auitam :
Sic sedem de more solet conscendere pastor .
Pax verbum auditum est, vocali corpore facto .
Impia progenies, cuius coluisse rebellis
Est animus cineres à fluxa morte piorum ?
Nonne vides sic velle Deo famulantia Christũ
Membra coli, ac meritos sibi poscere corpora
laudes ?
Iam Theodoretus per scripta refellere gentes
Nititur, ac secum pastor Cyrillus iniquas
Fictorum sortes, ac numina vana Deorum .
Militiæ ductor qui prospera gesserat ante,
Littorius stygijs deceptus fraudibus hæsit .
Nam quia consuluit magica subnixus in arte
Dæmona, victus obit, sed multa miserrima passus
Deperijt miles Gallorum euictus ab armis.
Tunc etiam Imperiũ Rex Gensericus, & amplas
Imperij affecit magnis terroribus vrbes .
Terrarum populos idem vastauit abunde,
Ex improuiso quia prodita tempora pacis .
Perfidus in Siculas animum conuerterant oras
Panormo obsessa, postquam Carthagine cessit,
Præmissa quã fraude capit: quippe irrita dextræ
Fœdera in immensos traxerunt oppida luctus .
Tu quoq; communem sensisti Roma laborem
Vandalica depressa manu, atq; hostilibus armis.
Plurima sanctorum sic afflictata virorum
Eluxit pietas, Cœloq. locata resedit
Transcendens animi virtus purgata nefandis :
Ac velut è mixta quando rubigine fuluum
Appositis circum flammis secernitur aurum,
Vt magis eniteat, mota compagine prorsus
Impura rerum: sic cœno immixta recessum
Dura per, à terris molitur in æthera cursus

Plena Deo ratio, nitidisq. refulget ocellis',
Sydera purgatis peruadit & aurea plantis.
Tu mihi Musa adsis, & conscia mente laborum
Dissere compositas moto velamine causas
Corrupti mores hominum, ac peruersa malorũ
Pectora torserunt in damna miserrima gentes,
Sic vt in immensum magno quasi turbine fractæ,
Ac dura vndarum quasi tempestate premantur.
Quippe per ambages reuoluta licentia sensus
Præcipitis fœdas, & facta per impia rerum
Irritasse potest diuinam in noxia mentem.
Lenones vetiti rescripta per ardua magni
Principis, vt penitus stirps infamissima cesset.
Author purgandæ Florentius extitit vrbis,
Prædia dum populo donat, quæ clara ministrẽt
Munera reddituum genti sibi lucra petenti
Ex opere infando, quo publica massa supersit.
Ergo suum nomen semper florescere pergat.
Narboaa in patria sancitum lege perenni
Obstructos aditus lapsis pastoribus esse,
Munera ne patrum, neu pastoralia tractent,
Siue gradus iterum teneant, sedesue capessant
Vt visi reprobis resipiscere prorsus ab actis.
Sic etenim licet à veris dignoscere fictos.
Hac est Iulianus Capuæ ratione repulsus,
Hortatu contra magno insistente Leone.
Oppositus Syriæ quasi debita iura reposcit
Primatus patriæ per multa Dioscorus oræ
Scripserunt Socrates, Theodoretusq. sequuti
Cum Sozomeno clara exemplaria rerum.
Hæc eadem in commune decus compacta fuerũt
Vnde tripartitam historiam posuere vocandam.

EC-

ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER QVINTVS DECIMVS.





Ixtus Diuinæ Matri ſacrà
æde referta,
Liberij quæ dicta prius, ſua
fata ſequutus
Occidit, vt Cœli ſemper
ſupereſſet in oris.
Olli ſufficitur Tuſcus Leo
poſtea magnus.
Diuidit in partes victa Carthagine gentem,
Atq; oras Libiæ Rex Genſericus adeptas:
Infelix, nam geſta manent, labeſq. perenni
Tempore contractæ. tamen euaneſcere longè
Contigit iniuſtè partum per crimina Regnum.
Heu miſeras mentes cœca ferrugine merſas:
Quid faſtus proſunt? quid auara libido malorũ?
Effugit, ac celeri præteruolat ardua curſu
Ætas præcipiti nexu delata ſub vmbras.
Nititur in vacuo ſordes miſcere paratus
Mortalis donec ſeſe merſiſſe profundo
Contingat late vitiorum pondere preſſum.
Tu melius ſenſiſſe potes, cui numen ab alto
Luce ſuperfuſa pectus ditauit amicum.

Vt quasi læthales animi contagia morbos
Aufugeres, maculasq. tenaci corde caueres.
Iulia se nobis offert captiua fidelis
Laudibus in Cœlum merito tollenda receptis:
Quæ Domino transuecta truci, quia prodere nollet,
Synceramq. fidem Christi, legesq. tuendas,
Immerito suffixa Cruci 'est damnata nefandè.
Ad Gensericum profugus venisse Sebastes
Dicitur, insimulant quia maiestatis eundem
Exosi patrij. sed morti traditur atræ,
Arrianos quoniam pergit contemnere sensus.
Tu socer auctus eras generi Bonifacius huius.
Eudocia Augusta in Cyrum propensa poetam
Extitit, id quoniam versus studiosa canendi.
Scilicet in similes ferimur, quia cognita virtus
Eximios retegit, quos ignorata repellit.
Et Ducibus contra missis, & classe parata
Vandalicos remouere studet Thodosius hostes.
Excita Narbona Synodus celebratur in ora,
Communem vt liceat populi sarcire salutem.
Solliciti prohibete patres, quæ digna videntur:
Inuigilat stygius, quo fœda resuscitet hostis.
Eucherius fuerat clarus virtute parata,
Hic quodam è numero alituum existente ministro,
Digne pastorum fuit in fastigia tractus;
Nec vero indigne pastoris munera versat,
Sanctorum late leges imitatus, & actus.
Quisquis eris gradibus similis, sectare fideli
Exemplum ex voto, ac duros imitare labores.
Quid peruersa foues? quid pódera iusta recusas?
Sacra doces, infanda tamen tua vita videtur:
Imponisq. alijs, quæ tu tetigisse cauebis,

De-

Detrectas seruire Deo, qui cœlica curas
Vtere consilijs, quorum cognosceris author
Quid tua dissentit, qui sacra professus abunde es,
Cum forma virtus? atq; aufugisse laboras
In tractus intrasse viæ, dux factus eosdem?
Ergo Veranum docuit, pariterq. Salonum
Eucherius natos diuina reposcere rerum,
Degereq. instituit sancte meliora sequutus
Ipsemet exemplo, ne forte deesse putares
Muneribus, causæq. suis. Hic adfuit inter
Concilij sacri patres, firmare tuendos
In patria ritus, turpesq. infringere labes:
Hic vbi Sanctorum plures dedit insula partus
In cœtū assumptos patrum, sortemq. docentum.
Prosper, Honoratus, fundator Hilarius, & qui
Cæsarius dictus, Faustus, Caprasius, horum
E numero fuerint, fueritq. hos Maximus inter,
Et Lupus, atq; Lupi frater, Vincentius hostes
Tartareos late fidei mucrone reuincens.
O mihi si linguæ centum sint, oraq. centum,
Si totidem mihi membra sonent, quo carmine laudes
Edicam vestras clara, exemplaria morum?
Cum Genserico pax est firmata Tyranno:
Is tamen infirmus per conspirata suorum
Pectora in aduersos iam prorumpentia sensus
Redditus, innumeris pro suspicione peremptis.
Sic sæpe in peius prolabi contigit vrbes,
Quæ creuere prius, quia nam discordia vexat.
Roma sub his annis motu concussa recenti
Multarum est pariter discrimina passa domorū.
Attila in Illiricos Rex acclamatus ab Hunnis
Peruadit, Thraces vastat. Theodosius ergo,
Quo pacem redimat, sex millia soluit eidem
Auri

Aure librarum, libras & mille per annum
Pollicitus pariter sese vnumquemq. daturum:
Sic fœda vrgentem per fœdera distrahit hostem
Attila sed Bledam Rex fratricida peremit.
Iam Manichæorum sordes virtute Leonis
Pontificis summi rursus patuere sub ausas,
Rursus & in tærris claram retulere repulsam
Dum Theodoretus sensus fouisse scelestos
Arguitur, sensus varia argumenta fidelis
Exponit, quo nota sui sint intima cordis
Cyrillo fatis cedente Dioscorus auctus.
Cyrilli gradibus fuit, hic vexare paratus.
Eiusdem assines exordia pessima voluit.
Princeps Occiduus Romana tenere sacrorum
Primatum statuit sua per rescripta perennem,
Constantinæo in circo cecidere frequentes,
Seditione orta, rabies quam dira sequuta est
Escarum, grauiorq. lues male noxia membris.
Texuit à mundi quam Diuus Origine prosper
Historiam, his pariter potuit cōplesse sub annis
Concussa Eoi sunt fundameuta recenti.
Cardinis impulsu, quo territus ætheris axis
Insonuit, pariterq. vndæ tremuere profundi,
Tunc quoq; sub Cœlum fugisse coactus apertū.
Dux hominum, quia dira monent secedere testis
Tunc raptus sublime puer Cœlestibus isthæc
Verba choris laudes referentia Numinis audent
Ter Sanctum replicasse student, adiectaq. verbo
Vota, precesq. homini lætam poscentia pacem,
Scilicet edoctos par est cecinisse fideles
Voce Deum Sanctum, pacemq. reposcere noxæ,
Ergo vsurpantes populi auertere tumultus,
A populis tu dira tuis remouere memento
Sancte Deus, discatq. tibi famularier orbis,
Pro-

Proclus obit, munus ſed paſtorale ſequutus
Vita conſpicuus cepit Flauuianus ibidem.
Cyrus præfectus ſacras confugit in ędes,
Ductoris terrore actus: mox ecce receptis
Baptiſmi, fideiq. notis ſacra Regna miniſtrat.
Chryſaphij inſtinctu, ne dicas fraude, ſororem
Pulcheriam Diuam cura Dux amouet orbis,
Qua quondam Imperij conſors ea facta fuiſſet:
Deuaſtata Scotis, crudiſq. Britannia Pictis.
Conſilio Diui Synodus collecta Leonis
Hiſpana ritus abolet pro viribus ora,
Ritus iuſtorum in populis indigna fouentes:
Turibius cui forte præeſt laudabilis author,
Hic vbi proceſſus, quem Dia volitio portat,
Ex patre, ac patris genito memoratur habendus;
Id, quia per Diuum fluit ipſa volitio verbum:
Ac, ſi non iſtud præceſſit origine ſaltem,
Nequaquam hæc fuerit: ſequitur nam ſcire voluntas.
Patres è ſcriptis quæ decerpſere Leonis.
Is Leo depoſuit, qui ſeſe intruſit in vrbem
Baſſianum paſtorem Epheſi, pariterq. recepit,
At ſine ſpe graduum lapſos, qui forte redirent.
Turbat Irenæum, Tyrius qui paſtor habetur,
Neſtorijq, alias fautor non iure fuiſſet,
Maximus Eoi ductor Theodoſius orbis:
Hunc Theodoretus paſtorem optarat eundem,
Neſtorianææ quaſi propugnacula gentis.
Eutychius Monachus profert ſermone procaci
Naturam in Chriſto planè infeliciter vnam,
Neſtorium vt caueat, qui defendiſſe laborat
Perſonas etiam binas. ſic naufragus olim
Incidit in Scyllam cupiens vitare Carybdim.
Ergo Flauiani ſtudio, ac pietate repulſus,

Concilio indicto, quasi morbida corpora cœtu
Christiadum arcetur, ne mens trahat addita pestem.
Quid vanis homines deludere sensibus audes
Eutychius? Deus ille fuit, naturaq. in illo
Humana? & proprios neutra amisisse duarum
Conceptus, aut res potuit natura sub vnos
Personæ vnius nexus compacta recentes.
Obiectum rutilans visus ita terminat actus
Non immutatum, sese immueante pupillam,
Quæ patitur quadam compagine nexa per actus
Vt maneat iuncto quasi pressa potentia signo.
Certior efficitur rerum Leo, qui tua reddit
Vota pijs, firmatq animos non falsa tuentes,
Is Beneuentanæ per dura redarguit vrbis
Pastorem verba, in patrum quia iura feratur
Imprudens, motosq. ausit transcendere fines.
Recciarius Rex Sueuorum baptisma reposcit,
Christiadum de iure sacrum, fideiq. subintrat
Ostia, quo superi peruadere limina Cœli
Possit, & æthereos conscendere mente recessus.
Chrysaphius fautor sacris quia traxit ab vndis
Eutychius sese, ductori suadet abunde
Indixisse nouam Synodum, ne forte prematur.
Iniuste Eutychius, seu veri causa fouendi
Detrimenta ferat paucorum prodita sensu,
Siue etiam hostili penitus reprobata lapillo.
Ergo prius Roma Vrbe noua confessus habetur.
Tum quia Flauianus ludi non posse videtur,
Concilium exposcit longe communius idem.
Id vero statuunt Ephesi condicier vrbe.
Te quoq; Concilij petiere Dioscore Regem.
Accersunt Magnum Romana ex vrbe Leonem,
Hic tres Legatos mittit, qui certa referrent,
Queis

Queis pariter mandata dedit seruanda coactis.
Eutychius monet occiduos sed falsa retexit.
Petrus Chrysologus scripto reuocasse laborat
Errantem, vt dicat se se debere sequaces
Romanæ fidei, ac summi pastoris, & vrbis
Esse, nec incauto firmari pectora sensu,
Donec Romana fuerit pietate receptus.
Ergo infandus ibi per plura Dioscorus audet.
Permiscere nefas, sensusq. mouere ptobatos,
Sic persæpe solet præsentis gloria fastus.
Felicem, qui respiciat per tristia finem.
Conteritur pedibus Flauuianus, & extera missus
In Regna extinctus triduo est, socialis adactus
In partem sceleris per vim quoq. cœtus: iniquũ
Consilium cepit decreto absoluere nequam
Eutychium, & patrum rescindere gesta piorum.
Quin etiam amenti facto, studioq. rebelli
In Diuum est ausus verba intorquere Leonem,
Quod mandata sibi perscripta aduersa dedisset,
Vt plures fuerint contradixisse reperti,
Late Legatis & contestantibus ijsdem,
Inualidos actus, quos vis peperisset, habendos.
Dicitur in Synodo cum sæua Dioscorus ictu
Verbera Flauuiano male mulctaturus acerbo
Imprimeret, qui se Monachum Barsuma pro-
fessus,
Occide, vt pereat, crudeliter inclamasse.
Hillarus euasit sospes Legatus, vt esset
Nuncius aduersi casus per cuncta, Leoni
Postea Romana pastor suffectus in vrbe.
Ergo damnatus perijt Flauuianus, & vna
Reijcitur Theodoretus, secumq. suorum
Edita librorum complura volumina chartis.
Extrema admittunt sectæ, consistere nescit

Per-

Perfidus in medio secederf in auia doctus.
Iam Theodoretus sese per scripta tuetur
Vt Comes huic faueat tandem sporatius vnus,
Mox Leo sollicitus rerum per scripta doceri
Præsule Flauuiano sataSit, tamen irrita pastor,
Vosa videt, donec pater Hillarus astitit vrbi,
Areptaq fuga, trepidoq. pauore repulsus,
Is pro se reduci Diuo sacrasse Ioanni
Ædiculas clari sumptus, quasi sospes ab vrna
Feruenti lapsus simili ratione refertur
Ergo Leo cogis Romæ Synodum, ne forte putetur
Priuatum tantum causas agitasse premendo
Vesanum pectus, mandata fidelia nectens
Dicere commonitus rerum Theodosius audet,
Nil fidei sanæ detractum, at perfida solum
Corda virum, ac prauos homines cessisse repulsos,
Sic fidei sanænon legitimata nocebunt
Iudicis arbitria, vt possint subuertere causas
Suffectus fuerat Elauuiano Anatolius acto
Sedibus, assensum præstat Theodosius instant
Eirmari pariter decreto, ac voce Leonis
Ille sed exposcit fidei augmenta probatæ,
Ne lateat sub pelle Lupus fortassis Ouina.
Missi Oratores lapsis pepercre salutem:
Deceptus nouit fraudem Theodosius omnem,
Acriter Eudociam obiurgat simulata herentem
Pectora, vt eiecta domibus, quæ recta moneret,
Pulcheria, infandos posset miscere tumultus,
Chrysaphium pariter qui rerum perfidus author
Extiterat,, raptis opibus, gradibusq. superbis
Lætho infelici tendem per funera douat,
Ipsemet inde cadit seu mersus fluminis vndis
Seu

Seu deiectus equo, dum ſeſe exercet in aruis
Venau referens actu ſimulachra Dianæ,
Dum cadit ætherei ſincera examina patris,
Quem ſæpe in famulis quondam imprudentius errans.
Depreſſit, fato ſubijt correptus acerbe.
Functa Marina fuit ſoror inclyta Principis æuo,
Pulchersa in lœta euintus ſpem virgo Leonem
Extulit, is contra pebmouit in optima Diuam,
Marcianum, bello qui captus forte fuiſſet,
In patrias ædes Rex Cenſerioc remittis.
Omina dum Regni late felicia captas
Fœdere iurato, quianam tibi contigit vni
Carnerc Reginam volucrum inſediſſe ſubacto
Quondam acri ſomno capiti, dulciq. ſopore
Pulcheria hunc optat virgo ſponſandam recepto
Ex iuſſu fratris virgo manſura maritum,
Coniux eligitur toto cedente Senatu
Vt princeps fieret, quia nam virtute probatum
Nouerat, vt digne Imperij tractaret habenas
Vt primum aſſumpſit clari diademata Regni,
Sceptraq. firmata geſtauit vt aurea dextra
Ex templo in Diuum conuertit corda Leonem;
Vt cupiat fouiſſe animis, actuq. perenni,
Paſtorem primæ Sedis, Regemq. Sacrorum.
Ergo Legati, quos miſerat aute, recepti,
Explorata fides certis anatolica ſignis,
Tum mandata dedit Diuo perferre Leoni
Prò Synodo in commune bonum, fructumque legenda,
Pulcheria Diua rerum motrice piarum
Sæpius interſit nirum, ſi forte bonorum
Ex Nutu ſors miſſa cadat. votoue malorum,
Ergo paſtores ad propria munera adacti,

Euſta-

Eustathius Berithi, Solymæ Iuuenalis, & omnis
Schismaticæ clauis Dux ipse Dioscorus acti
Sedibus, in prauis quoniam firmata gerebant
Pectora consilijs nunquam cessura piorum.
Se Theodoretus de suspicione sequutæ
Nestorij normæ multis purgasse laborat.
Dira fames, pestisq. Italos vexasse frequentat,
Et, quia in occiduas consurgeret Attila gentes
Lentius in Synodi rursum concurritur actus.
Quinque tamen missi feliciter Oratores,
Per quos Concilij ratio præscribitur omnis.
Consueuere patres Itali, ne longius irent,
Metropolitana decernere in vrbe frequentes
Ambages rerum, mox & monuisse Leonem
Literulis missis, quo sic doctrina pateret
Publica Christiadum, ac fidei consensus alendæ.
Nicææ edicto Synodus cogenda fuisset,
Sed quia Barbaries perturbatura coactos
Visa, nouis vrget sisti Chalcedone votis.
Ætius adiunctis firmo sibi fœdere Gallis,
Disijcit Attalicas variata sorte cateruas.
Conueniunt ergo lecti Chalcedona patres
Supra sexcenti toto ex Oriente sequuti
Principis edictum, & magnarum examina rerũ,
Lumina terrarum, pars & dignissima gentis
Christiadum, sceptrumq. gerens Regale sacrorũ
Huc se Marcianus, pariterq. Augusta recepit,
Solliciti in causis penitus remouere tumultus.
Paschasinus ait Romanæ sedis Alumnus,
Nos missi Roma, cui quondã est creditus orbis
Nunc cessum est etiam Cœlũ reserare profundũ
Hæc primum vestris animis nota esse velimus
Pastoris vobis nostri mandata ferentes,
Qui reus est facti sic, vt turbauerit omnem
Iusto-

Iuſtorum cœtum: ſediſſe Dioſcorus inter
Tot patres caueat, ſtans immittatur, & adſit,
Audiat, & replicet, ſiquid ſibi poſſe videtur:
Cœtera tum fiant, quæ diſcutienda putantur.
Actio Concilij ſic cœpta, Dioſcorus, vt qui
Late accuſatus, ſit late erraſſe repertus,
Pulſus in exilium, qui vita exceſſit ibidem.
Iudicium iniuſtum eſt in Flauuianæa vocatum.
Eutychius rurſus damnatur, & impius error
Eutychij, ac Socij, ſi qui ſunt forte ſequuti,
Neſtoriana retro rurſus remouenda feruntur
Symbola Nicænæ Synodi, queq. addita quondã
Pars meritò fuerat, ſua per ſuffragia firmant.
Tunc duo Cyrilli de Chriſto, atq; vna Leonis
Communi placuit, quæ lecta eſt litera, ſenſu.
His ita compoſitis, ac rebus rite peractis
Per legem aſſenſum pręſtat Marcianus apertam,
Firmat & Encyclicis eadem Synodalia miſſis
Rex Leo ſacrorum, quo vim contingat ineſſe.
Ambitio tandem fracta eſt Anatolica, & actus,
Per quem tentauit partes ſibi velle ſecundas,
Inuigilante Dei famulo, atq; obſtante Leone.
Proterium Agypto quia præfecere ſequutum,
In ſectas iterum reſciſſa frequentia gentis
Eiectum pars magna petens, vt inhæſerit vni
Altera Proterio: ſic gloria cœpta repulſo
Digna Deo, cultus hominum monſtrauit inanes.
Exploſo pariter Solyma Iuuenale receſſit
In ſectas iterum populus, fautrice malorum
Eudocia quondam Regina vxore relicta
Principis, vt gradibus fuerit Theodoſius auctus
Paſtoris quidam, qui per ſua nomina vanum
Eudociæ referat defuncto coniuge nomen.
Sic Capite exciſo renouata repullulat Hydra,

Euthy-

Euthymius Diuus, secumq. Auxentius illis
Obstitit impugnans sua per miracula gentem.
Attila dum reparat vires, ac destruit vrbes
Italiæ plures, Romamq. adijsse volutat,
Repressus verbo fuit, ac virtute Leonis:
Namque duos astare vni Rex Attila sensit,
Qui sibi præcipiant dictis parere Leonis.
Tunc Veneti cœpti, vt quędam miracula terris.
Defuerat Lybicæ; renouatur Episcopus vrbi
Proterius, fidei profitetur verba Leoni.
Iam cogit Synodum, Dux pellit in extera plures
Qui sua detrectant ire in commercia fratrum:
Hunc Leo Marciano commendauisse laborat.
Pulcheria Augusta egregiæ pietatis alumna,
Sancta gubernatrix populi, fidissima coniux,
Clara triumphatrix scelerum, atque exemplar honesti,
Iustorum Ecclesiæ columen, virtutis amatrix
Optima, decedens terris successit Olympo,
O felicem animũ, & felicia membra; sequentũ
Quæ fuerint alias per sæcula forma piarum:
Mos erat in patribus præscribi tempora certi
Paschatis, incerta, & varia ne lege feramur.
Ergo consuluit plures Leo, denique firmat
Tempora ab Ecclesia late seruanda fideli.
Cæsarius celebres Arelatæ exegerat annos:
Doctor Cæsarij pastor Syluester, & vna
Abbas Porcarius, pariter Pomerius Afer,
Andegaui statuunt, Clero satis esse, superq.
Iudicium patrum, quo declinare recuset
Iustitia cogente fori potioris, & actu.
Arguitur merito quondam Iuuenalis iniquus:
In sua tecta redux tandem per verba Leonis.
Is lecta Solymæ Synodo reprobata repellit,
Con-

Contractam remouens noua per cōmercia labē,
Subiecta expurgans pia per decreta locorum.
Occiduus ductor thalamos, castosq. domorum
Per summum violasse nefas consueuerat ignes:
Maximus vxorem vim passum sensit ab illo,
Ergo parat fraudem: iam seditionis apertæ
Eiusdem suasu prætenditur Ætius author,
Ac perit occisus, secum periere superbi
Imperij vires, & fracta potentia gentis.
Tum perit occisus magicæ infelicius arti,
Quo sibi matronas liceat fœdasse pudicas.
Incumbens pariter Romana per oppida ductor.
Maximus inuadit Regnum, vxoremq. relictam,
Extincta propria. sic amisisse repertus
Est sua, qui potuit rapuisse aliena sequutus.
Crediderint hominum quidā terrena propago,
Si gradibus præsint, atq; adsit copia rerum,
Propterea licuisse sibi in peiora relabi,
Peruersa vt morum teneant, ac turpiter errent,
Vecordes late quasi bruta animalia sensu,
Oblectati animo ex imis inhiante medullis,
Abstracti à superis, iuncti quasi compede terris
Et quasi membra luto decies reuoluta profundo;
Ignari donis fidei, ac rationis egentes:
Soluite compactas in transcendentia mentes,
Nubila ne radijs diuini luminis obstent:
Bellua consortem de vilibus amouet escis,
Vesanis rursum votis exposcit easdem,
Mox iterum ex partis à concurrente repulsa,
Iustitia in Christo nostræ sit gloria mentis.
Maximus Eudoxam per se docet esse peremptū,
Consortē Thalami imprudens: tum pacis iniuit
Fœdera cum populis. ergo irritata per actus
Aduocat è Lybicis, Italas qui perderet oras

Cen-

Gensericum hostem, captam qui diripit vrbem,
Amota Eudoxa, natarum ac stirpe suarum,
Inde recessurus cum gaza lætus opima,
Et captiuorum permultis millibus auctus
Pertrahit in patrias secum felicius ædes.
Eudociam Eudoxæ nato dicat Hunerico,
At Placidam in sedem Eoam cũ matre remittit.
Huic Placidæ paulò post nupsit Olybrius auctæ.
Captiuos fouit pastor Carthaginis vrbis,
Propterea Arriani perimũt, ac vulnere torquẽt
Pastorem inflicto Thomam, vigilantia cuius
Vnxerat extinctum per sacramenta parentem.
Successor vetitus, series renouata malorum est.
Maximus obruitur saxis, discerpitur artus.
Eudocia Eutychij sensus deponit, & actus.
Sic sæpe errantem sanat vexatio mentem:
Bassam exempla trahunt, fuerat præfecta piarũ,
Occidui Imperij Dux acclamatur auitus,
Immunem edicto Clerum Marciane relaxas,
Deponit fasces, quianam contraria sentit
Vota Senatorum Dux acclamatus auitus.
Iam Theodoricus Gothicæ qui sceptra cateruæ
Gestaret, secta Arrianus, ductore perempto
Sueuorum, excindit multo cum milite Regnũ.
Hic tamen Hispanis sese confirmat in oris.
Romano Gallos a milite soluit auitus:
Ex illo Regnum cœpit consurgere Gallis,
Merouceo extincto, sibi succedente sequuto
Childerico ipso, cui forte Lutetia visa est
Digna domus Regis magni, seu Regia Regni;
Obsessam irrumpit longo post tempore in vrbẽ.
Illustris Geneueua fuit virtute parata,
Gestorum, & fama celebris, veneratur eandem
Rex Childericus late, nec mente fidelis,


In


In Lybicis terris quianam sublata facultas
Per Gensericum, pastorum, & cura nouorum
Ecclesiæ facies duro vexata periclo est.
Plures inde cadunt commota mente Tyranni
Martyrio celebres studio pietatis alendæ,
De terris rapiente Deo, quos æthere condat.
Sic rosa seligitur, sic flos hyacinthus ab hortis.
Siue saporiferum decerpitur arbore pomum.
Et sic frumentum infaustis secernitur herbis.
Maxima virgo fuit, captiua ex vrbe fidelis
Delata in Lybiam: quidam, Germana propago
Delati fratres, Dominus iunxisse volebat
Martiniano vni sua per connubia Diuam,
Quo fidos forsan magis experiretur eosdem.
Permouet hunc iuuenem vixisse puella pudicè,
Intactum vt seruet sibi virginitatis honorem:
In Monachos tandem fugiunt, rapit ille virorũ,
Fratribus adiunctis: virgo sectata recepit
Fœmineum in cœtum sese. res cognita, cætu
Abstracti, ac diris vexati angoribus artus,
Maxima dimissa est, præfectaq. facta piarum,
Exilium passi in Mauros abiere repulsi
Fratres, ac plures reuocant in Regna sacrorum,
Pastorem vt peterent Romana ex vrbe fidelem.
Non aliter lumen splendet de lumine sumptum
Nec secus ardentes de flamma accenderis ignes.
Neu secus exhalans impertit muscus odores.
Sunt aliqui, quos fœda trahunt contagia mentis,
Seiuncti causis, quos nulla occasio vexat,
Attamen in scelus abiecta ratione feruntur
Attamen infandos actus, & noxia rerum
Præcipiti veluti cursu quasi pabula quærunt.
Hæc hostes inter, pariterq. vrgentia late
Dicta sui domini, pœnis affecta recusat,

Ac sese incolumem virgo captiua periclo
Eripit, vt fugiat liciti connubia sensus,
Quo mage sollicito surgentem in pectore Christum
Tota mente colat, seseq. interserat astris.
Heu vires fidei fractas, extinctaq. cordis
Lumina perpetuis deflenda licenter ocellis,
Spiritus alme fare, ne late incendia serpant,
Et vis pacati subsidat vt æquora sensus.
Victor Carthenniæ pastor tum floruit idem,
Obtulit Arrianis dictata volumina contra,
Dicitur exemplum Voconius esse sequutus,
His non dissimilis scriptor Pomerius esto.
Ecce Valerianus per dura exempla fideles
Excitat in fidei tutamina, funera passus.
In templo multi sub lucem paschatis ipsam
Extincti pariter sæuis cecidere sub armis.
Est iussum claudi Carthagine templa piorum,
Mulctati exilio subeunt noua Regna ministri,
Late infestatę tanquam à prædonibus vrbes,
Vt misere plangant, sed vestra miserrima longe
Pectora, pacatas quæ damna tulistis in oras.
Antiochena regit Basilius oppida pastor,
Excellens fidei meritis, ac munere Diuum.
Marcianus dum bella parat, sua funera miscet,
Vir præstans virtute animi, præclarus in armis.
Inde salutatur placiti per vota Senatus
Dux Leo, vt Imperij lautissima sceptra capessat:
Imponit capiti pastor diadema decorum;
Plura gradus illos sunt vaticinata Leoni.
Gratatur pastor scripto Romanus eidem,
Inde Ducem exorat per feruida scripta Leonem
Exigat à cunctis fidei argumenta probatæ
His, qui præfuerint, ne quis subreperet error.

Nicæna


Nicæna amplecti sese decreta fatentur,
Ac Synodum, quæ sit Chalcedone in vrbe se-
quuta;
Ælurumq. omni per se ratione repelli:
Hic Ægiptiacis quondam coniunctus aperte
Hæreticis turbas miscere paratus iniquas,
Proterium aggressus non digna morte cecidit;
Marciano vita functo. tum ne quid inausum
Pectore fallaci menti occurrisse Leonis
Incipit, vt doceat Nicæna, Ephesinasq. sese
Amplecti, ac penitus Chalcedone facta videri
Reijcienda sibi, patriæq. sequacibus vrbis.
Ergo Leo ductor Synodum concessit habendã:
Sed monitus pastor prædicta redarguit, omni
Conatu euitanda ferens prætensa nouantum
Auscultasse iuuat, curam dimisit eandem.
Interea occiduus fis Maioriane Rauennæ
Ductor communi consensu gentis, & vrbis:
Omina fausta videt sub rerum ingressibus ipsis,
Vandalicos etenim qui contra appellere curent,
Campanum ad litus penitus profligat, & arcet.
Tu terris Iuuenalis abis, tua Virginis almæ
Scribere cura fuit mortali è sede recessus.
Vt plures Monachi sint dogmata praua sequuti.
Sed nostra Euthymius fouit, Sabasq. Ioannesq.
Æternum tacito traxit qui nomen ab ore,
Atque alij, quos astra super sua gesta tulerunt.





ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER SEXTVSDECIMVS.



SI cum forte tibi numen
quasi laxat habenas,
Iniuste vt vexes, quos exer-
cere parabat;
In sanum redeas sensum mi-
ser, ac tua late
Pectora discutiens, in recta
feraris, & æquum,
Indignosq. retrò gressus reuocasse labores;
Ac verses animis remouenda pericula vitæ;
Et varios rerum euentus, finemq. malorum,
Ac positas sceleri metas, & mixta nefandis
Gaudia perpetuos aliàs comitantia luctus,
Iudiciumque sequens actus, ac turpia morum,
Desieris causam temet præbere reatus;
Ac turbas miscere nouas, & scandala rerum
In populis, pariterq. Deo seruire parenti;
Ac tecum simili studeas ratione modeste
Viuere, laudatos & circumducere cursus:
Ne forte incassum, cum mors inopina rebellem
Occupat, & rostro correptum mactat adunco,
Seu rigido ferit vngue caput, seu deprimit artus

Nec

Nec poteris cauiſſe vmbras noctemq. ſeueram,
Et grauius culpæ pondus, meritoſq. dolores,
Aduerſamq. lucem, ſatumq. recluſerit ora,
Vt miſere perdat, Numenq. accenderit iras;
Vt Leo conſurgens in detrimenta reorum,
Sero pœniteat reprobi tua pectora facti,
Et fruſtrà quæras duri medicamina morbi,
Et plangas animis non conſolabile tempus,
Ac ſtulte doleas non retractabile vulnus,
Ac deſperati ſubeas diſcrimina caſus.
Victus erat Paſtor fatis Anatolius æquis;
Gennadius legitur, Synodo qui forte coacta
Accitis illuc Romæ Oratoribus vrbis,
Timotheũ gradibus turbat; mox extera ductos
Cogit adire Leo, ſic contendente Leone
Præſule Romanæ ſedis, ne pulſus in ima
Immeritis rurſus gradibus potiatur iniquus.
Sic ſcelus in præceps ruit, inſaniq. furores
Extincti pœnas tandem retulere ſequutas.
Alter Timotheus fuerat ſuffectus ibidem,
Qui formam fidei, quam ſit de more profeſſus,
Edidit, vt pateat, quid vere, ac ſponte ſequatur.
Septeni decies patres de ſedibus adſunt,
Atq. Simoniacam labem extirpaſſe laborant,
Iure nouo rurſus ſancito, ac legibus æquis.
Studitæ Monachi triplicato germine ſurgunt.
Clericus admonitus fuerat reſipiſcere ſenſu
Gennadij monitu; fruſtra reuocaſſe laborat,
Vt ſcelus abijciat. quo circa numinis inſtat
Implorare fidem: ſi non renouabitur actu,
Præcidatur, ait - præciditur ergo ſequenti
Luce miſer, tenebris, queis ſeſe inuoluerat auctus.
Marcianus tunicam dederat, quam ferret, egeno,

Dum sacrum de more facit, seu sacra ministrat:
Hunc vestem ex auro pastor gestasse putauit ;
Aurea non fuerat, visa est tamen aurea vestis ,
Virtutis laudem testanti numine signis.
Ecce Leo patres Campanos admonet acri
Cura insistendum caput extirpare malorum,
Radicemq. fouere piam , ac renouare vocatos
In Christo mentem sic, vt de more piorum
Crimina seu purges sacris baptismatis vndis,
Seruato ritu recto, formaq. recepta ;
Seu, si quæ turpi, ac reprobo produxeris actu,
Postea, secretam pure confessa sub aurem
Late iudicio quasi discutienda seuero
Impressi per signa animi, formamq. fidelem
Contingat pelli, maculisq. resurgere sontes .
Occubuit Simeon stilita receptus Olympo,
Annos qui supra centum vixisse repertus .
Mox Daniel quidam exemplũ laudabilis actus ,
Gennadio obsistente sibi, sectatus, eandem
Scandit Colchiaci prærepta sub ostia ponti
Ingentem simili cordis feruore columnam .
Eudocia Augusta, in sensus traducta fideles ,
Occidit, vt meritò superis sociata videri
Possit , & æthereos animis adijsse recessus .
Ricimeri facto crudeli, ac fraude seueri
Maiorianus obit, cui munera cessa reliquit ;
Ricimeri tamen ipse cadit mox proditus astu .
Iam Leo decessit. cuius vigilantia victrix
Iustorum Ecclesiam magnis progressibus auxit .
Hillarus obtinuit, prædecessoris vt esset
Suffectus gradibus, qui confirmauit abunde
Pignora compositæ fidei, normamq. colendam,
Encyclicis missis, atque auspice Victorino .
Pascales Cyclos, ac tempora certa quotannis
Con-

Consilio meliore nouat, primumq. refellit.
Sunt habitæ Synodi, queis forte repellitur error
Præside Cesario Diuo, diuisq. sequutis
Principiο, Eucherioq. suis subscribere dictis.
Pictor erat, Christum forma Iouis impius audet
Pingere. dextra riget: noxis ex corde reiectis
Optatam recipit, pro qua dat vota, salutem.
Gennadius Danielem adijt comitante Leone
Ordinibus decorans sacris: prædicit eisdem
Conflagraturam Daniel totam ignibus vrbem,
Exhortatus eos incendia frangere votis.
Facta fides dicto est, quæcumque ea causa fuisset,
Vexarunt miseros depasta incendia ciues.
Septenis tantum admonuit mansura diebus.
Mirum, à septenis flammæ cecidere diebus.
Bissenis igitur pedibus distare suarum
Sancit tecta Leo, posthæc fabricanda domorum.
Hispani, & Galli Romanæ sedis aperte
Consuluere patrem rerum, quæ forte putari
Incertæ poterant, dubiosq. inuoluere casus.
Conciliū Romæ legitur; vox omnibus vna est,
Antiqui ritus pietas seruanda videtur.
Ægyptum vexare parat, totumq. pererrat
Rex Gensericus, totumq. quo territet orbem.
Immunem Ecclesiam ductor Leo reddidit omnē
Iuribus amotis, per quæ, si forte, subires
Templa Dei profugus, quia namq. aduersa per-
urgent
Nomina, & admissi contra te ponderis æra,
A templi œconomis, qui te seruasse laborant,
Quis prius iniuste res exegisse solebat.
Diuus Prosper obit: cepit sua munera Faustus.
Maximus at Faustum præsul præcessit ibidem.
Sufficeris Ticini Crispino Epiphanius olim,

 Non

Non quo scriptorum nexu exarata sub vno
Iuncta trium, aut quatuor fuerant monumenta priorum.
Hispanos vexat Rex Euaricus, & inde
Ad Gallos abiens Aruernum obsidit. eundem
Ecdicius pulsans magna vi dissipat hostem:
Ricimer Anthemij gener extitit: ergo fouetur
Imperij vt captet socer inuasurus habenas,
Ipso Ricimero, ac toto suadente Senatu.
Tunc pestis late Romam grassata per vrbē est.
Hillarus Anthemium, qui dogma foueret iniquum,
Ad Diui Petri magna virtute coegit,
Iuratam accipiens pacto quasi fœdere dextram,
Mittere sectarum noua conciliabula gentis.
Hillarus occiderat: tu Tiburtinus in altos
Proueheris votis non discrepantis honores
Inter se cleri, ac populi consensibus omnis.
Simplicius, tu sollicitus, tua munera comple,
Tu Cœlum patrium late auersatus, iniquos,
Ac subuertentes indigna fraude piorum
Pectora consilij longe prudentibus actus,
Et plane simplex noti candoris honora.
Ecce Leo tentat partes præstare secundas
Constantinæis pastoribus: obstitit idem
Principijs rerum, misso Oratore, nouarum;
Non precibus motus, nec vi cogente subactus.
Aruandus Gallis quondam præfectus in oris
Plectitur exilio, quamuis peiora timeret,
Pulsatus iustis causa suadente querelis.
Iam Seronatus, cui nasci serius ante
Optandum fuerit, dum proditionis apertæ
Arguitur, qua forte Gothis fauisse volebat,
Supplicio extremo pœnas luit, irrita vt olim
Cona-

Conatus placita infandi, ſceleriſq. videret.
Poſtea ſic alios potuit fœdaſſe libido,
Nõ ſecus oppreſſos, vt nunquãm tẽpora deſint
Qui peccent, moniti exemplis, caſuq. ſiniſtris.
Spes alit interdum: quod ſi quandoq. videntur
Sortiti effectus quidam, ſed fama perennis,
Et maculæ labes non deficientia ſecum
Detrimenta ferens, quid non auertere poſſit
Dedecus indignũ, tenebrarum è tramite mentẽ
Vt reuocet? pariterq. in veri lumine ſiſtat?
Ac cito candore? dolis? ac fraude repulſis?
Sæuitiam exercent alij ſubiecta prementes
Corda virũm, vt merito ſumma de ſede feroci
Poſtea conatu poſſis torquere ſubactos.
Sunt, quos excruciat ſitis importuna ſequendi
Diuitias, dum forte animo cupiere rapaci
Inuaſiſſe alios, ac dulcem auferre quietem,
Fas omni amoto iuxta præſcripta malorum.
Congeſto paribus rurſus raptoribus auro,
Sint certi rerum, iuſtiq. cupidinis actus,
Aurea ſternetur totis tibi ſemita terris.
Mille ſupra centũ ratibus Leo ſtrauerat æquor,
Claſſem cognato tibi Baſiliſce paratam
Commendat lecto: tecum Ardaburius, Aſpar
Patricij pondus belli ſubiere notatum,
Vt Genſerico, ſi qua fortaſſe liceret,
Non expectatos poſſent inferre dolores.
Sed vero ſciſſura animi, fideiq. profeſſe
Dũ magis aduerſis ſunt conſona dogmatà rebus
Diſtraxere manũ validam, vt prætoria primum
Cœperit oppoſitos fugiſſe indignius hoſtes.
Sic alijs virtus reſoluta pauore receſſit
Exagitata retro, ſenſit prætoria flammas.
Vicerat Heraclius Tripoli, mox cognita fama

Reiectæ bello sociæ fractura cohortis,
Cum iam præcipuam Lybiæ accessisset ad vrbē,
Terga retro vertit, patriasq. retexuit oras.
Sic quæ negligimus, dum res est integra nobis,
Et quæ parua putas, dum sunt exordia rerum,
Detrimenta ferunt iunctis ingentia causis,
Vt vitium retegant, cum res non integra nobis,
Ac labem importent, cum sunt extrema laborum.
Iam Basiliscus patriæ quasi proditor vrbis
Occisus fuerit morti tradendus acerbæ,
Ni Verina soror sortem auertisset, & actus
Pro mulcta exilium imponens abijsse Plerenthū.
Iam vero occisus cum prole sub ædibus Aspar
Principis, at patriam qui sic est vultus in hostē.
Zeno connubijs Ariadnam optauit habendam,
Dicitur incautos quo suppressisse Leoni
Asparides, patremq. ipsum cum stirpe liceret,
Natæ connubium secum finxisse sequutum,
Cæsareo vt pariter decorarit nomine natum.
Sic nulli fidisse potes, si conscia gestas
Pectora, te socios alias læsisse receptos.
Constantinæi ciues videre sub vrbem
Denticij pendere caput, bustumq. recisum,
Agmine disiecto, quod contra aduenerat vrbem,
Sæpius vt misere quærant sibi funera Reges.
Marcellianus erat, licet Ethnicus esset abunde
In bello poterat sese monstrasse fidelem,
Insidijs tamen ecce cadit, ferroq. suorum.
Gennadio resoluti artus, animiq. volarunt
In superos, vbi parta quies melioribus vso.
Gennadio in patria succedis Acacius vrbe.
O fuerint extrema tui conformia primis.
Gnaphæus fullo fuit Eutychianus habendus,
Aulicus ex Monacho: curat turbasse fideles,

Et

Et patrem incassum versata fraude sacrorum.
Sed tandem populi studio Antiochenus abactus
Martyrius, pastore ipso testante rebellis
Stultitiam gentis, moresq. in praua ruentes.
Ricimer Anthemium socerum occidisse laborat:
Detectus profugit, mox fœdera rursus iniuit,
Sed fictis animis intercedente duorum
Sanguine iunctorum in causis Ticinensis ad ista
Accito pastore vrbis consorte sacrorum.
Postquam Hunerico quæ desponsata marito est
Natum Hildericum genuit, pertæsa nefandum
Coniugij socium Eudocia aufugisse fidelis
In patriam cœtus studet, ac repetisse sequacem
Iustitiæ in Christo gentem: delata subiuit
Antiquam Solymam humanæ monumenta salutis:
Hic Auiæ tumulis adiuncta perennibus hæsit
Postea, congestis donato paupere rebus.
Quis cupiat forsan prauo cogente reatu
Dimisisse pios, quo sic peiora sequatur,
Seu Solymam abijciat puro sub corde latentem,
Europæ faciem proiecto puluere in auras
Torrida Vesuuij texere cacumina montis.
Præsul erat veræ fidei sectator, & actus,
Alter at Arrianas tractabat perfidus artes:
Progressi per longa diu certamina verbis
Argumenta parant oculis subiecta probandæ
In Christo fidei, de se non illa docebant
Veram ficta fidem, sed numen adesse vocatum
Veraci per signa sono, firmare putandus
Quos petimus facto sensus, dum publica poscit
Causa rei decreta piæ, ne crescat iniquus,
Se coram rudibus iactans, fallacia versans
Pectora, conceptu iam concurrente manentis

Pro iustis curæ, præsentesq. insuper actus
Diuini quondam eloquij præstare parati
Eximiam Christo Authori pro tempore laudẽ.
Sic Elias vates demisso cœlitus igne
Inspirante Deo populos firmauit abunde
Accitis Baal in discrimina certa ministris:
Sic operum patrem Christus, rerumq. nouarum
Sæpius induxit quondam ad miracula testem.
Ergo Orthodoxus sese proiecit in ignem
Arriano renuente rei discrimina secum.
Ecce Deum laudat pater Orthodoxus ab igne
Incolumis lapsus, populo mirante vicissim.
Iudæus quidam pro falso crimine tortus
Proiectusq. rogo bina cum prole furenti
Subiectis facibus, Diui dum nomina Sergij
Inuocat, euasit non offendente fauilla
Insontes artus, nec noxia corpora sospes:
Quippe per id tempus miracula nota Beati
Ore recensebant populi complura frequenti.
Fama fuit, binos alba sub veste latentes
E superis equites custodiuisse fideli
Pro sensu vinctos flammis vndantibus artus.
Remigius pastor Rhemensi lectis in vrbe est.
Primatum sedis Romana à sede secundum
Ambit, & à Ducibus deposcit Acacius orbis.
Annuit ergo Leo votis, conatibus obstat
Simplicius, magnus Romæ pro tempore pastor.
Occidit Euthymius Diuus, Cœlumq. reposcit.
Ricimer Anthemium consanguinitate propinquum
Perdit, vt ipse tamen paucis post ista diebus
Occidat, & paucis, qui cepit Olybrius axem
Imperij, nutu eiusdem cedente scelesta
Nequitia terris, & qua fulcimur inani
Spe

Spe rerum, vt stultis animis mortalia verses.
Nobilis Aruernæ fit pastor Sollius vrbis:
Glicerius sceptrum Burgundo Rege sub oris
Occiduis hortante capit, sed possidet anno
Vix vno, late deiectus ab ordine summo
Posteà, quippe nepos hominem sic Iulius vrget,
Vt Salonitarum pastor felicius esset.
Inde nepos pacem obtinuit cum Rege Gothorũ.
Glycerio Vindemirus dominante per orbem
Muneribus missis in Gallica Regna recessit.
Cum Theodomirus Regnum inuasisset eorum,
Casu infelicis mox est in funera tractus.
Ecce Leo natum ex genita, ac Zenone Leonem
Augustum dicit, non iste superfuit anno
Integro, vt in puero fundata periuerit vno
Spes tota, & Regni non transmittenda potestas.
Arrianus quamuis fuerat Rex ipse Rugorum,
Verba Seuerini Diui coluisse refertur,
Contemnens Regina tamen, luit impia pœnas;
Dux Leo defunctus fuerat per funera rebus,
Diuinæ Matri sacras extruxerat ædes,
Diuinæ Matris fecit quas veste decoras.
Imperium Eoum quasi pro tutore ministrans
Zeno capit, rerum Verina auctrice suarum.
Dicitur, infandis Zeno cum moribus esset,
Expetijsse sibi quandam per funera mortem;
Cum Deus è Cœlo, quianam miserescit eundẽ,
Pauperis, vt largè sua munera mittat egenti:
Me quoq; Zenonis miseret, ne tempora demam
Iusta sibi, vt large, sua si fortasse voluntas,
Pœniteat sese, vanis ac legibus vti
Dediscat, primis contraria facta reposcens:
Quod si non animo steterit peruersa sequuto,
Tandem recta sequi, ac turpes deponere mores,

Quæ

Quæ bona præstitero in terris, sua præmia sūto,
Vt cœlo abstineat, superos neq; poscat honores.
Martyrio eiecto Iulio suffectus, vt idem
Postea Concilium damnet Chalcedone factum.
Ælurum Zeno expulsum in Marcoticam rursus
Regna trahit, quo præficiat velut ante scelestū,
Lectæ militiæ lectum præfecit Orestem;
Iulius, Augustum genitum declarat Orestes.
Dalmaticas hinc euasit deceptus in oras
Glycerium repetens, cuius deceperat ante
Proditor ore fidem, pœnam, sortemq. repōrtās
Pro meritis dignam, temerataq. iura dierum,
Quæ prius infecit domino, velut ipse, repulso.
Infidæ tanta esse solent periuria mentis,
Vt leges quascumq; fuget, formasq. decori,
Si semel in miseros crimen peruaserit artus.
Nec vero ipse suos casus effugit Orestes,
Quippe per oppositos Herulis Odoacer adactus
Oppressit profugum Ticini, lethoq. subegit.
Ipse Seuerinum noua per miracula clarum
Enixe coluit, sic vt post tempora rerum
Poscenti misisse velit quæcumq. potitus.
Hortatur populos inopi persoluere Diuus
Frumenti decimas, quo sic tollatur egestas:
Prudens consilium fuerit decimare quotannis
Æra Deo, æternum vt decimet tibi postea Regnum,
Ac vice mutata tua tum decrescat egestas.
Diuus erat patiens, quos pressit egentia victus,
Eripuit Gallos miseris cruciatibus actos
Effuso sumptu, late vt ditaret eosdem,
Quo superum meliora petat delatus in axem.
Aruernum, & ciues Rex obsidet Euaricus,
Atterit & patrios, viduat pastoribus vrbes.
Sæui-

Sæuitiam in sanctos prorsus pietate remota
Ælurus magnis acuens progressibus infert.
Non secus atq; Vrsæ surgunt, cum forte latentes
In specubus rapuit catulos venator abactos;
Seu cum forte Tygris circum præcordia miscet
Immanes agitans commoti pectoris iras.
Ergo Dioscorides magno feruore reposcit,
Eutychianæos late sectatus iniquos.
Sic etiam è stabulis quondam subtractus equarũ
Pullus in arua volat, seu calcibus aera pulsat
Impatiens fræni, quod dura sub ora recepit
Nescius, vt caueas discat repetisse relictas.
Aduocat Ælurum Zeno, excepere sequaces
Læti, temporibus late seruire parati.
Sic alias cum forte lupus custode tenetur,
Ne pecori sua damna ferat, vel misceat iras
Dentibus infrendens siccis, aut ora cruentus,
Semesum quianam deponere contigit agnum;
Insidias iterum molitus, vt expleat artus
Escarum cupidos nimium, prædæq. recentis;
Si redit, incaute secum pastore morato,
Inuadens astu cœca sub nocte per vmbras,
Vt male decipiat somno victore sepultum:
Tum vero exultat media inter ouilia victor,
Ac pecudes discerpit ouans, irasq. minaces
Aggerat immensum: rabies renouata frequentes
Edocuit versare neces, ouibusq. sub aura
Incustoditis plenas inferre ruinas.
Hinc Monachi, clerusq. sacer per scripta parẽti
Ecclesiæ summo causas, ac gesta recensent,
Vt, si qua possit sibimet ratione, sinistris
Consulat in rebus, curetq. auertere pestem.
Sed vero effectu patuit, peruersa tuentes
Non facile infringi, si non terrena potestas
Adsit,

Adsit, vt authori doceat parere petenti.
Simplicius quendam causas, formasq. sacrorum
Optanti conferre vetat, quia namq. per actus
Sæpius illicitis visus rationibus vti:
Idem etiam iniuste pia fnndere dona repertum
Cura interdixit, curæq. beatius actis.
Gerasimas Monachus cœlesti munere clarus
Extremos clausit per talia tempora cursus.
Iam fuerat Paulo cum patre peremptus Orestes
Monilio nato, qui post Augustulus esset
Nomine contemptus mutata sorte vocatus,
In loca reiecto, patrij dixere Lucullum.
Sic magna in paruis desidunt obruta rebus.
Rex Italos Odoacer habet Regalibus vsus.
Imperij occidui sunt res, & nomina rerum
Propulsata locis; non aspernatus, vt esset
Sensibus hæreticus, seu prauo dogmate nixus,
Orthodoxorum causas, Epiphanius ipsum
Exorat Regem, quo vectigalia demat,
Pro quibus iniuste sese turbarat Orestes.
Tunc erat humanæ faciesq. miserrima vitæ,
Durior & cursus per mille pericula iustis.
Arriani Reges iterum per cuncta vagantes
Regna subinsertos studuere effundere sensus,
Eutychianæis penitus temerata venenis.
Eoi pars tota poli, celeberrima quondam
Iustorum Ecclesiæ sedes, quasi mota deorsum
Subsedere domus tecta, vt corrupta videri
Machina sanctorum nimio constructa fauore
Posset, & immeritas vitijs miscere ruinas,
Sæpe vno per verba animos reserantia turpes
Fundamenta viro circum quassante locorum.
Zeno Simplicij per verba monetur aperte
Turbarum vt causam amoueat, rerumq. malarũ,
Sci-

Scilicet adſcribent, inquit, tibi ſcandala, & ipsā
Imperij labem probroſis actibus, vt te
Accuſent late collectio tota piorum,
Ni fædos reuocaſſe animos, legeſq. ſeueras
Decreuiſſe ſtudes, & conſeruaſſe receptos
Diuinæ fidei ſenſus, curſuſque probatos.
Ergo caue, vt diſcas fatis melioribus vti,
Ac memor Authorum Imperij mage ſana ſequaris:
Fortunatorum ſors eſt optanda virorum,
Quippe alias nactus Numen cœleſte timentem
Totum expurgaſſet contractis ſordibus orbem.
At Deus interea non delectatus iniquis
Molitur late pœnas: vtq. omnia noſſet
Conſilijs ſubigi cœleſtibus, arduus iras
Nunciat immiſſo velut oratore malorum
Stilita Daniele ſibi. depellitur ergo
Imperio Zeno Baſiliſco vrgente nefando;
Qui falſo fidei cœpit contendere ſenſu.
Mos eſt diuinæ mentis, quæ ſydera verſat,
Sæpe per infandum reprobo miſcere dolores,
Vt ſeſe alterutri excutiant preſſiſſe parati:
Mox vbi compleuit ſuperi quaſi vota parentis,
Caſibus aduerſis late conſumitur idem,
Et patitur foueas, in quas coniecerat hoſtem.
Orthodoxorum cedi ſibi templa virorum
Impetrat Aelurus, qui dum progreſſus in vrbem
Ingreſſurus abit ſacras properantius ædes
Ductus honorificè ſocijs comitantibus hæſit,
Crure ſibi effracto miſere, proiectus aſello,
Turpiter vt fuerit retro ceſſiſſe coactus.
Igne cadit Petrus hæreticis obſtaſſe repertus;
Hæretici damnant Synodum Chalcedone factā,
Concilium inuiſum ſuperis, quingenta virorum

Cor-

Corpora in infandos instinctu Dæmonis vsus
Congesta, è totis fex impurissima terris.
Sollicitus rerum propugnat Acacius hostes
Stilita Daniele viro, certisq. vocatis
Eximijs Monachis clara virtute probandis,
Simplicius quianam monitis grauioribus vrget:
Sed Basiliscum perterruit arma minatus
Expulsus Zeno sic, vt renouauerit astu
Fœdus amicitiæ iusto cum semine gentis,
Permotus dubioq. ausu, trepidoq. tumultu;
Iudæi nequam Babylonica Thalmud acceruant.
Tu toties victor fato cogente supremo
Genserice peris, tandem per funera victus:
Partum Hunericus rapuit tua germina Regnum
Principio iustos visus fouisse fideles
Militiæ princeps quianam defecerat à te,
Zenoni vt faueat contra dura arma mouenti.
Imperio Basilisce cadis, petis impius aras,
Ne tibi contingat vita cecidisse coacto:
Inde sed abstraheris nutu pastoris, & vrbes
In certas raperis longe ablegatus, & vna
Chara vxor tecum, paritera. domestica pubes,
Vt nemo per te vanos ignoret honores
Ac rerum instabiles cursus, dubiosq. rotatus;
Possit & humanis dediscere fidere rebus
Omnis, in incerta qui spe subnixus inhæret,
Terrenorum actu quamuis feliciter vsus.
Ergo ibi Dux quondam clarus contabuit artus,
Et rabida ora fame turpi confecta reatu.
Non sibi Simplicius, qui rem cognouerat omnē
Defuit, hortatur Zenonem expellere cætus
Nequam hominum, & Sponsam Christi sarcire tuendam.
Conscius ipse sibi mortem meditatur acerbam
Aelu-

Aelurus, duros casus, ac tristia vitæ
Funera, Syderei fulgentia sydera Cœli
Exosus, clarosque dies, ac dona beati
Numinis, in Christo cunctis prodesse parati.
Ergo haurit virus membris, pariterq. soporem
Aeternum infelix; ne forte coactus in hostes
Incidat, & pro quo sensu miscere tumultus
Optauit, vanos repetens indignus honores,
Sic quasi deuicto quæsisset ab hoste triumphum,
Postea contemptus per dedecus infima verset
Inuisus terris, cœloq. infensus, & astris.
Hunc Samuel Syrus edocuit per scripta cauendũ
Cladem infert vrbi magnam telluris hiatus:
Territa corda metu duris successibus aucta.
Argumenta suæ fidei exemplaria mittunt
Eoi, vt patri patrum sit nota voluntas.
Damnantur, Synodum quondam Chalcedone factam,
Qui reprobasse volunt: iterum firmata voluntas
In recto fuit, ac late reiectus iniquus,
De propriæ sensu fidei reuocatus in arcem
Imperij docuit Romanum Zeno parentem.
Cedit Anastasius fatis ereptus acerbis,
Qui Solymæ pastor fuerat: suffectus eidem est
Martyrius, qui cum vellet sarcire fidelis
Ecclesiæ quasdam vt vestes, ac membra piorum;
Zenonem monuisse parat, sed cælitus actus
Nuncius agnoscit sese debere parentem
Romanum docuisse prius, cui sacra potestas:
Marcianus redit in sensum reuocatus auitum,
Atque alij secum: quidam Gerrontius obstat,
Romanusq. vsus queis stat defendere falsos.
Aurelianus erat, cæpit regnare sub axe
Occiduo, ergo parat succurrere velle Britannis:

Saxo-


Saxonus hos pressit, qui forte vocatus vt esset
Auxilio sibimet se defendisse paratis,
In gentem irruerat: quo circa arcere laborant
Et Scotus, & Pictus contra pugnare Britannos
Certi, vt propterea pro defensore locorum
Illum inuexissent, qui se deperdit vt hostes.
Infelix igitur, qui non sibi sufficit, esto.
Simplicius quendam Hispanas delegat in oras:
Ipse Rauennensem patrem quasi vana sequutum
Arguit, vt caueat reprobis insistere factis.
Vrbe ab Alexandri quæ dicta est nomine magni
Depositus fuerat Mogus, & reuocatus eodem
Timotheus Solofaciolus, qui mittit in vrbem
Romam, pastorem summum docuisse latentem
Illa in sede Mogum, qui corrupisse laboret
Incautos hominum, sua quo fallacia crescat.
Simplicius monuit Zenonem, auertere pestem
Prætereb pacem exposcit, quia territus armis
Ante, Dioscoridem se finxerat impia tractans.
Condonata fuit lapso sua noxa petenti.
Dum Stephanus pastor iustis de more coactis
Antiochena facit Christo sub mœnia sacrum,
Eutychianistæ contra irrupere frequentes,
Aggressumq. armis magno clamore trucidant
Cum socijs, merguntq. arreptos corporis artus
Fluminis heù patrij præterlabentis in vndis.
Sacrilegi pœna mulctati, ne tamen iras
Compressas ferro dure, contingeret olim,
Dum nouus eligitur sua per dictamina præsul
Commotis iterum subrecrudescere causis,
Pastorem externa procedere ab vrbe nouandum
Sancit, & electum patrijs abscedere tectis,
Vnctio vt incipiat placitis decurrere votis.
In sua Simplicius descendit vota sequutus,
Scan-


Scandala quo fugiat, sic vt non cessa potestas
Aeternum dici possit passura refluxus,
Cum moti in meliora animi, ac sedata tumultus
Sit ratio, ac tumidos discant deponere sensus,
Seu totæ hærebunt, ne sint noua schismata, causę
Ergo prior Stephanus iunior sibi munera captat:
Chrismate signatus Dio, quo regna sacrorum
Arguimus capiti per sacramenta refuso.
Iam Lupus in Gallis vita decedere iussus,
Floruit Albinus, Polychronius, atq; Seuerus.
Ex voto Placidæ, ac voto Zenonis in Afris
Rex Hunericus pastorem cedit habendum:
Eugenius legitur vitæ laudabilis actu,
Et candore animi nimio, pietatis amator.
Pacta intercedunt madidis deflenda per æuum
Luminibus, posse Arrianos impune per oras
Imperij degisse omnes, primaq. sub vrbe.
Aruernensem vrbem tandem obtinet Euaricus,
Dextra vltro, citroq. data, spondente futuram
Ipso Hunerico populis per tempora pacem.
Aruerni flores Abrahas, & Amabilis vrbe,
Plæclari ciues ambo, virtute notandi.
Aruerni quidam, quos vincla iugalia nectunt;
Seruauere diu pro virginitate tuenda
Intactos artus sic, vt videantur ab igne
Traxisse incolumes quasi per miracula vestes.
Queis ego carminibus te virgo Georgia dicam,
Funera aceruatim cui deduxere columbæ,
Quo puram arguerēt puro cum corpore mentē?
Iam Theodoricus magno cum milite ad vrbem
Constantinæam forti concesserat ausu:
Sed verò insidijs, ac iuncta fraude suorum
Territus abscedit, mox infelicia vitæ
Olli insperato ruperunt stamina parcæ.

Pre-

Præsule Perpetuo Synodus collecta Turoni est.
Ipse Seuerinus Noricos qui dogma colendæ
In Christo fidei per signa sequentia voces
Edocuit, cunctis late mirantibus acta,
Occidit in Cœli merito delatus honores.
Rex Hunericus temere commotus in omnes
Exercet, iunctos etiam, crudelius iras.
Tu Stephanus iunior moreris, sua munera poscis
Sic, vt Simplicius firmet tua gesta. Calendus
Martyris Eustathij cineres traducit in vrbem.
Exilium passo Zenone vrgente, quod ipsum
De Maiestate argueret per crimina læsa,
Et quia peruersus iam factus Acacius instat,
Succedit Fullo hæreticus, qui dogmata primum
Sedis ad ingressum populis vanissima iactat.
Quidam consurgunt contra Zenona superbum
Deturbasse gradu, fieri si possit eundem.
Iam Solofaciolo tu successisse Ioannes
Diceris: at Zeno, quia poscit Acacius, ipsum
Deijcit è gradibus, Mogus vt sua munera verset,
Qui Mogus hæretico quondam pro dogmate terris
Pulsus erat, turbas miscere paratus, & actus,
Temporibus seruire iuuat, probat vtraq. legum,
Oppositos hominum vt late experiatur amicos:
Acephali dicti qui sic parere recusant:
Edicit Zeno, sic instat Acacius, omnes
Conuenisse vnum in sensum, Chalcedone facta
Explosa Synodo, vt nemo non perfidus esset,
Sed Zeno visus, sed visus Acacius æquus,
Auersis animis in deteriora relapsi.
Sic sæpe humanis adnixi sensibus hærent,
Vt varios ineant aditus, tractusq. viarum,
Incerti rerum, vt ventis agitabilis vnda,

Vitali in Christo nexu, formaq; solutis.
Vtere proficuis, qui cœlica regna reposcis:
Quod si te cumulus, quasi mons obiectus adurget,
Vt mentem impediat, gressusq; moretur, & actus,
Euola, vt incipias transcendere sydera lapsu,
Sollicitus patriæ, qua sic distamus adepta,
Semotis quæcumq; vides obstare petitis,
Latis æternos animis meditatus amores.





ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER SEPTIMVS DECIMVS.





Nemo, venenati qui tactus acumine dentis
Infusos hausit per viscera pacta liquores,
Seu gelidam bibit ore luem ac læthalia dona,
Dum solui innatis sensit quasi viribus artus,
Atq; oculis remouere diem, humoremque medullis
Infaustum inferri concreto sanguine membris,
Sollicitus vitæ, qua non sibi charius vllum
In terris, non digna sibi medicamina poscat,
Quæ pestem auertant, morbumque potentius omnem;
Cor firmans, quod sũma manent certamina rerũ,
Vt retrahat penitus disrupto fœdere mortis
Inuadentem hostem, postremaq. fata minantem.
Sic Iesu concepta fides vbi nexuit orbem,
Et quasi composuit pia per baptismata gentes,
Organa constituens compactaque membra bonorum,

Vt

Vt quasi subiecto vi sanguinis aucta sub vno
Fluxibus æternis vitalia munera carpat,
Si casu aduerso, stygiæue afflatibus auræ,
Misceri læthum in venis sibi contigit atrum,
Aut iustos traxisse semel velut ore venenum:
Illico turbatis animis collecta piorum
Turba patrum obniti, laxos stipare meatus,
Ac prohibere scelus, noxamq. arcere rebellem,
Et quauis repulisse nefas ratione frequentant.
Ergo cum Zeno, cum Præsul Acacius vnà
Simplicio extincto sensus temerasse receptos
Pergeret, adiunctis Eoæ sedis, & orbis
Præsidibus, late pulsis qui recta fouerent;
Vt iam Christiadum populus sibi dura timeret
Exitia, & fidei corrumpi dogmata sanæ
Cerneret, infectis putri quasi sanguine membris,
Et succi nouitate mali, ne serperet error,
Cum vix interea morbosior ante fuisset.
Felix Romana pastor suffectus in vrbe
Audita fama iam concurrentibus ijsdem
In tutos portus, quasi tempestatibus actis,
Concilium Romæ cogit: decernitur vno
Cunctorum assensu legatio publica patrum,
Missa querelarum non contemnenda piarum
Pagina, & oblati per pulsum a sede libelli,
Quippe Ægyptiacis Patriarcham eiecerat oris.
Rerū summa fuit, monitus resipiscere Zeno est,
Hortantur cauisse Mogum, & Fullona superbū;
Iudicijq. reus decretus Acacius, vt se
Delatus, si forte potest, tueatur ab actu,
Tres Oratores fuerant mandata ferentes:
Deuenere vrbem, Imperij quæ prima teneret.
Hic vbi principio cæcas exarsit in iras
Zeno idem, vt fuerit populorum iura, fidemq.

M Nulla

Nulla habita ratione æqui violasse repertus.
Ereptæ tabulæ fuerant mandata notantes,
Compedibus duris ijdem sub carcere pressi,
Missi Oratores. iam vafer Acacius, vt rem
Iudicij contra moti dissolueret omnem,
Blanditijs egisse parat, peruertere mentes,
Aduerso casu fractas: commercia secum,
Atq; Mogi repetunt per nomina lecta nefandi.
Sic moti primo, discrimina certa seueri
Iudicij fugit, sic desertoribus ijsdem
Prodita virtutis forma, & laudabilis actus.
Ergo educuntur de carcere protinus omnes
Mercedem indignam, libertatemq. sequuti
Pro turpi facto, sic vt cecidisse reperti
Deiecti gradibus fuerint, quibus ante potiti:
Quippe ad Pontificem delata ea fama supremũ,
Dũ male defendũt, quæ contra obiecta fuissent,
Vndecies septem per vota frequentia patrum
Infandi sceleris meritos retulere reatus.
Ergo etiam Romæ tractatur causa secundo,
Collecta Synodo: damnatur Acacius idem,
Et Mogus, & Fullo, cuius commercia nequam
Admixtus tenuit sese fautore malorum:
Antiochenæ vrbis sacram hic ascenderat arcem
Immeritò intrusus, pulso pastore Calendo.
Firmauere patres damnantia verba nefandum.
Re sibi perlata per scripta hærentia vesti
Cuiusdam Monachi studijs, curaq fideli,
Quem male depositi mox accepere sequaces:
Ille furit, nomenq. suis è sedibus arcet,
Felicem delendo ipsum quasi falsa fouentem.
Exemplum sequitur Mogus: hinc commota fidelem
In populum affectus crudelior ira minacis,
Exi-

Exilijs, turbis, ac ſeditione tenentur
Omnia, confuſum quaſi tempeſtate profundum.
Eiectum felix Nola præfecit in vrbe,
Vt ſenſit motos frangi non poſſe tumultus.
Nec vero experti meliora fuere fideles
In Regnis Lybiæ Hunerico Rege ſequuto,
Quippe diu manſit renouata ferocia mentis,
Quæ Chriſti quondam potuit vexaſſe ſequaces:
Mulctata exilio primum quaſi quinque virorum
Millia, qui proſint populis, & ſacra docerent.
Quis memoret caſus varios? quis funera fando
Explicet? aut poſſit lachrymis æquare labores?
Gens electa Deo, cui primum cælica curæ,
Cui iuſti mores, & commendabilis actus,
Torquentur late ferro, ne dogmata veræ
Prodiderint fidei per ſacramenta notatæ,
Impreſſæq. animis nullo delebilis æuo.
Hos flammæ abſumunt, alij merguntur in vndis
Verberibus multi plectuntur, & ardua vitæ
Detrimenta ferunt miſeram comitantia ſortem,
Vt poſſit facies dici renouata malorum,
Quæ quondam experti mala ſub ductoribus eſ-
ſent
Ignaris legis Domini, fideiq. colendæ:
Abſtracti infantes nullo diſcrimine ſexus,
Dum neq; diſtinguunt a rectis praua gerendis,
Et patres, matreſq. vna ſubiere dolores
Teſtati Chriſtum ſupera virtute tuentem.
O fortunati, quorum felicior actus,
Et quos exigui ſtant præmia magna laboris,
Securi rerum in melius per dura vocati,
Putribus extruſi quaſi pars ſaniſſima terris.
Exorate vices noſtras, & pandite Cœlum,
Ne forte in vanis deſidant pectora rebus,

Ac teneant animi plane infelicius ima ,
Corrupti sensu, placitæ rationis egentes .
Felicem Eugenius per signa salubria, cœcus
Cum quondam fuerit, perfecit, vt organa visus
Certa ministrarent per rerum obiecta nouarum
Lucemq. infusam cupidæ phantasmata menti.
Hic idem pastor quondam Carthaginis vrbis
Arrianis offert fidei monumenta probandæ :
Quæ sancita prius fuerint in perfida mentes
Pectora, mutata vice, destruit Hunericus .
Cyrola Arrianus pastor cum fingeret astu,
Concurrente alio secum , amouisse tenebras
Alterius vere, qui vere sanus adesset ,
Sed captum penitus credi se lumine vellet,
Abstulit huic lucem , quam postea reddidit auctam
Eugenius cœco reparans sua lumina rursus .
Eugenium Arriani sua ne pia facta viderent ,
Exilio mulctant: sed non dimisit habendam
Iustorum curam per scripta fidelia pastor .
Tres Orthodoxum sensum, legemq. probatam
Arrianos contra fuerant docuisse reperti .
Rex Hunericus , Rex immanissimus actu
Ore trahit linguas imo, dextrasq. recidit ,
Quo sic contempti per corpora manca per orbẽ
Desinerent pia verba loqui,atq; obstare cupitis.
Ergo Deo testante fidem , atq; iniusta scelesti
Facta Ducis, mirum, auditi subtexere voces
Sic velut incolumes passi mala nulla fuissent,
Quippe Dei verbum , quo se diffundat in oras
Si velit, haud quaquã quæsiuerit organa linguæ
Eloquij cum sit radix, & forma perennis :
Firmarunt nimium Verbi Diuina fateri
Atq; æterna simul mira hæc spectacula gentes,
Expe-

Expedit Arrianos linguis tacuisse solutis,
Si possunt voces hi dictauisse recisis.
Dicitur ex illis sensu impellente scelesto
Quendam immunditiæ labes traxisse sequutum;
Postea propterea vocalia munera sensit
Amissa omninò mansuro tempore secum,
Ne sceleri concessa putes ea dona salutis:
Crediderim in multis similes nos esse futuros
Si præclara animi pietas, si candor adesset,
Rex Hunericus post funera certa piorum
Casu infelici raptus sua funera sensit,
Expertus fædos rodentes corpora vermes:
Sic extrema hominum sub tempore fata subiuit,
Immortalem actu qui se per facta gerebat.
Iam Gensoniades, qui Gondabunde vocaris,
Sceptra capis, tu dissimilis reuocasse videris
Mulctatum exilio cætum, patresq. repulsos,
Tu pacem dederis iuncto quasi fœdere iustis
Arrianus quamuis, ac sensu perfidus esses.
Dira fames omnem Lybiæ peruaserat oram.
Rex Alaricus per fata extrema cadenti
Patri percusso diuinitus Euarico,
Qui sceptra in Gallis gereret, succedere visus;
Sidonus vates, secum laudetur Orontus,
Vate à Sidono qui non diuersa professus.
Aruerni pastor fuerat Sydonus in vrbe,
Sidonus dum fata trahit suprema, queruntur
Effusi circa populi pro sorte futura
Solliciti: Sidonus ait, metuisse cauete
Gens dilecta Deo, nam frater aprunculus adsit,
Qui regat hanc vrbem. nō cognouere loquentis
Verba viri. hoc vita functo, Lingonicus armis
Occidisse instat, qui dictus aprunculus esset,
Pastorem ciuis. non ille moratus in vrbem

Aruerni fugit: sic acclamatus in arcem
Aruernæ sedis magna cum laude vocatur.
Childericus erat, Gallorum sceptra gerebat,
Hic, vnde illustri celebrata Lutetia genti
Postea iura dedit, paciq. armisq. ministrans,
Opportuna diu transfuso semine in æuum
Ipsius Regis, cuius sanctissima proles
Non interruptis decorauit nexibus orbem.
Hoc vita functo Ludouicus sceptra capessit,
Remigium pastorem alias cum moribus idem
Ethnicus esset, adhuc late coluisse refertur,
Vt dono dederit villas, ac cætera rerum.
Constantinæum quasi morbida membra recisum,
Pastorem reuocare studet per plurima Felix,
Vt se pæniteat, pariterq. fidelia captet
Munera cælituum, quibus indignissimus esset,
Dum sic permaneat peruersa sequutus iniquis
Pectoris infandi studijs, mentisq. ferocis.
Non resipit monitus, contra perstare rebellis
Certus, & in miseras animos traxisse ruinas:
Ergo perit morbo post tempora victus acerbo,
Olli proficuos nunquam referentia fructus.
Qui pergis peccasse Deo, tibi noxius vni
Semper eris, solum sequitur te pœna nocentem,
Flauitas suffectus adest, reprobatus ijsdem
Moribus, & vita, voluit tamen ipse videri
Rectus, vt optarit primæ commercia sedis,
Dum potuit fauisse Mogo: sed fila sorores
Abscindunt celeres, vt vellera nigra retexant.
Longinus pulsus repetit post tempora fratrem
Dena Ducem, monstrum scelerum, raptorque bonorum.
Morte immatura cecidit præreptus iniquo
Zeno-

Zenonem vita referens Zenone creatus.
Condiderant Cyprij quondam tua corpora patres
Abdentes tumulis o Barnaba diue paratis:
Diue tua pariter conſcripta volumina dextra
Matthæi quondam Diui compacta labore,
Condiderant tecum: iam te reſerante repertum
Horum vtrumque fuit, facti tu diceris author.
Hic vbi condiderant, templum de more ſacratum,
Conſtantinæam ſed ſcripta feruntur in vrbem,
Conſeruanda locis. ergo pro munere grates
Nos vtroq. tibi cupimus retuliſſe frequentes,
Et verbis agimus, pariterq. habuiſſe velimus
Ditati immenſum, vt quondam per plura tuorũ
Symbola verorum iam Perſa Philoxemus inſtat
Reijcere ex oculis, ne nos veneremur in illis
Quæ fuerint ſimulachra, Deum, Diuoſque vocatos:
Sic quaſi in obiectum Latria feratur idolum,
Cum vere affectus, mentiſq. fidelior actus
Siſtat in extremo, cuius res illa figura eſt.
Diligis, eſt aliquid, quamquam non illud imago eſt
Dilectum aſt aliqua referet ratione petitum,
Oſcula defigis, vel pectore condis in imo,
Quo ſint certa tibi rerum monumenta tuarum,
Atq; animo ſemper ſedeat quod amare videris.
Diligimus Diuos, vel dilexiſſe videmur,
Abſunt, vt facile nos horum obliuia carpant:
Inuehimus ſimulachra domum, coluiſſe iuuabit
Quæ præſto nobis fuerint monumenta piorum,
Sic tamen vt referunt nobis monumenta ſalutis
Vt quæ non adſunt vere, ſint terminus actus,

Quæ tamen adfuerint, recta repetisse velimus:
Quippe superuacuum fuerit tibi quęrere signum
Si præsens adsit, quod signa referre putantur.
Ergo tace illusor, pietas nos vrget amantes,
Appetimus Diuos, absunt, nos forma moratur
Picta, vt in effigie diuos veneremur amatos.
Te Mogus excipiet, cumulos quo fęcis aceruet.
Martyrius cecidit, merito laudabilis idem,
Fullo cadis pariter, meriro damnabilis idem:
Palladius tibi sufficitur, Sallustius illi,
Prædecessorum sectator vterq. suorum.
Plures è Lybia Romam venisse reperti,
Qui læsi fuerint, dum sæuijt ira Tyranni,
Ergo rogant pacem lapsi: pax reddita lapsis,
Collectæ Synodi studijs, ac legibus æquis.
Rex Theodoricus Thraces vexasse laborat,
Mox petit Italiam Friderico Rege rogatus:
Phelethei fuit is Soboles, Odoacer eosdem
Vicit, Phelctheo Gisa cum coniuge captis.
Ergo per oppositos armans Odoacer Onulphum
Oppugnasse parat, sua qui subuertere tentat:
Sed vero infauste, victus nam sæpius armis,
Sæpius & vires reparans, tum fœdere pacis
Tandem inito secum, vt regnent communiter ambo,
Per fraudem allectus lauta ad conuiuia, cæsus.
Discipulis Stilita iubes suprema dierum
Dum claudis, fugere hæretici commercia cætus,
Muneraq. hæreticis si quæ fluxura viderent,
Sub Theodorico, Regnum inuasisse parato,
Vastauere Gothi plures incursibus vrbes:
Francorum Ludouicus erat, Rex ethnicus ante,
Qui iustos etiam potuit vexasse sub armis,
Qui tamen in fidei Regnum reuocatus, & actus
Postea

Poſtea ſarciuit quæ damna tuliſſet abunde.
Sueſſenſem fertur tenuiſſe Syagrius vrbem,
Hunc Alarico profugum reddente peremit.
Gratus erat belli ducibus, belliq. miniſtris
Qui Papiæ regeret ciues Epiphanius vrbis.
Barbaries terras quianam inuaſiſſe frequentat,
Oppida paſtores magno munimine firmant.
Ennodius floret ſcriptor, Laurentius vrbis
Mediolanenſis patitur quam plurima paſtor.
Vandalicæ Lybicas iterum ſæuire per oras
Occæpere manus, teritur Fulgentius armis
Ciuis ab antiqua quondam Carthagine natus
Ex Monacho paſtor Ruſpenſi lectus in vrbe
Fulgeat æternum pleno laudabilis ore.
O ego ſi laudes poſſim retuliſſe canendo,
O ego ſi poſſem laudes æquaſſe ſequendo.
Fauſtus erat ſcriptor, rubigine miſcuit aurum:
Claudianus damnat, quia nam feciſſe videtur
Corporeos inſulſe animos, menteſq. ſuperbas.
Non eſt corporeum, quod corpore ſubtrahit actus,
Concepiſſe poteſt ſeiunctas corpore formas,
Idæaſq. notaſq. abſtractas ſenſibus omnes
Siue gradus rerum, copulatq. extrema duorum
Atq; infert pariter, quæ longè à corpore diſtãt,
Reijcit, ac recipit, dum res dijudicat æquis
Conſilijs meliora legens, peiora repellens,
In vita morum, diſcrimina verſat iniqui,
Ac recti pariter, veri, falſique colores:
Mens hominis ſpecie trahitur correpta decori,
Ac pariter trahitur, ſi complectatur honeſtum,
Vt vitium fugiat, meminit, quæ facta fuerunt,
Secludens animis phantaſmata terrea noſtris,
Concipit æterna, atq; immaterialia rerum

Vis animi ventura docet, diuina videtur
Si sensu abstrahitur, comparticipare bonorum,
Deciperis quoniam phantasmata preripit actu
Phantasia tibi, quæ materialia sunto,
Tum velut obiectum menti sensibile monstrat:
Mens in coniuncto copulat, disterminat, infert,
Corporeis addens non materialia rerum,
Aut prorsum abstractis directe contigit vti,
Corpore seiuncto phantasmata phantasiæ
Non copulant animi, quia propositiua facultas
Prorsus abest, sed percipiet formasq. notasq.
Quæ phantasiam superant magis alta tenentes,
Seiunctæ repetisse placet sua corpora menti
Propterea, quoniam vis imperfecta remansit,
Corporeis phantasmatibus cessantibus actu,
Vt possint cessare animis mortale canentes.
Diuus Honoratus, diuusq. Theodolus inter
Scriptorum numerum, nec non Gennadius aucti.
Zenonem carpis scribens argute Leonti,
Tu quoq; carminibus carpis, sed carmina vitę
Vt iustè carpsisse queas, tibi damna tulerunt,
Carpitur a lætho per morbum postea sacrum
Zeno miser, viuus quo creditur esse sepultus.
Vxor Anastasium sibi deligit, hunc tamen audec
Hæreticum Euphemius pastor repulisse putatū,
Vt fugiat studio commercia principis acri:
Nec prius imposuit capiti diadema petitum,
Quam publicè laudet Synodum Chalcedone factum.
Gratatur Felix Romanus pastor eidem,
Dicitur in circo, gens acclamasse sedenti,
Sit quæso similis tua vita futura priori.
Principio placuit, sed deteriora sequutus
Postea ductores reprobos imitatus abunde est,
Tutius

Tutius Imperij quia sceptra tenere videtur.
Sæpe hominum texit cor non scrutabile mores,
Dum metuit, speratue animo meliora potiri,
Amota causa, quæ se retrahebat inani,
Fertur in aduersos rupto velut obijce cursus.
Pars incensa vrbis, quianam dissensio facta est,
Authore, vt visum, Zenonis fratre perempti,
Qui credit licite tua posse optare bonorum
Vt taceat, tuus hostis erit, subuersor iniquus.
Pastor obit patriæ Patricius Hibernensis,
Armenus Pastor, patrij dixere Ioannem,
Vota Deo fundit. poscit sibi tuta locorum,
In quibus optatam possit peperisse salutem,
Incertis animis rerum pro sorte suarum:
Cælitus admonitus diuum perquirere Sabam
Instituit. hic viuens sibimet, Christoq. parenti,
Traxit ab euentu per longa silentia nomen.
Occubuit Felix, atauus fuit ille beati
Gregorij dicti pro gestis postea magni.
Præficeris pastor populis Gelasius Afer,
Euphemij renuis commercia, quippe recusat
Nomen Acaciacum è tabulis corradere sacris,
Euphemius monitus, quamuis sit cætera rectus
Vt primum tetigit Gelasius alta sacrorum
Culmina, communem inuigilat quæsisse salutẽ:
Hortatur pleno sensu vestigia patres
Recta sequi,& stygios auertere ouilibus hostes.
Defuncto vita Solymis pastore creatur
Laudatorum Elias morum, quem diuus in artes
Perfectæ vitæ accitum informarat abunde
Euthymius: mox ille animo meliora bonorum
Intuitus, monachos secum pertraxit, vt vna
Laudatos actus gereret venatus honestum.
O tales referant arua exercenda piorum

Optatos fructus, & germina talia in hortis
Iustorum educi verno quasi tempore cernam,
Vt superis inhient, dediscant quærere sordes,
Ac sua terrestri compagine pectora soluant,
Vt solum cupiant, quantum satis esse putatur
Rebus in humanis, cælestia poscere docti.
Si tua, qui lucem præ te gestare videris
Quo prosis alijs, fuerit tenebrosa voluntas,
Et ratio in nebulis iaceat reuoluta profundis,
Vt non sustineas quasi noctua cœca colores,
Vt solis radios noctu versata recuses,
Quid cœci faciant? qui præcedentibus hærent
Sæpe bonis ducibus, cæptisq. absistere perstant.
Pergit Anastasius populos domiturus Isauros,
Prospera bellorum sibi prima exordia cedunt:
Ergo capit sensus tumidos, fideiq professus
Dogmata, pœnituit sese meliora sequutum,
Vt rursum extorsisse velit, quæ scripta fuerunt,
Scripta nouaturus, quo per sua scripta periret.
Non raro noceat nobis sors læta bonorum,
Arridens fortuna parit persæpe ruinam.
Impius extorquens non amplius esto fidelis,
Hæsitat, vt nulli flectat sua pectora sectæ.
Noctu bella mouent Thraces, periere sub armis.
Deturbata solo fuerant simulachra Tyranni
Auspice Longino, totam raptantur eodem
Auspice Longino pariter simulachra per vrbem.
Euphemium admonuit dictis parere iubentis,
Per Faustum pastor Gelasius Oratorem:
Obstitit ille animis, retrahitq. docentibus aures,
Quin etiam, indignum, visus peruertere patres
Dardanici, Illyriciq. soli, atq; optasse rebelles
Inseruisse animos, secumq. auertere gentem.
Sed male mulctatus tandem detruditur vrbe,
Id

Id quia ductori hæretico sit dura minatus.
Olli sufficitur paribus Macedonius ausis.
Ecce autem interea motus Gelasius instat
Concilium Romæ legere, opportuna sequutus
Tempora, & in rebus iustos firmare petitis.
Ij decies septem fuerant, stabilitur ibidem
Compactis sors digna libris, Synodalia iungens
Dogmata, & errantes per scripta volumina coetus.
At vi, si qua putet falsis immixta, carebunt.
Prima fides dabitur chartis, quæ forte videntur
Venturum Christum annuere, aut monstrare sequutum,
Ij tibi prima dabunt primatus munera Roma,
Et doceant populos, hinc expectanda salutis
Dogmata, vt interpres tua sit censeuda potestas.
Roma caput fuerit, sunt oppida cætera partes
Corporis, a Roma arbitrium expectate sacrorũ
In sortem acciti per sacramenta fideles.
Talis erat Solymæ quondam, nam symbola Christi:
Ille fuit pastor sub sæcula certa futuri,
Romanus pastor sub sæcula certa sequutum
Iam Christum referet: sic per noua signa paréti
Paremus Christo, sua qui tibi verba per illum
Dictat, & abscissos populos quasi membra sub vno
Adnectit capite, vt capitis ratione regantur
Vnius compacta simul, neq; membra perenni
Influxu careant cómpagine scissa perenni,
Implicite primis vis illa infusa sub annis
Organa dum corpus quasi componenda recepit,
Ac gentes formam per sacramenta subirent
Corporis, vt capiti possent substare notato.

Hoc

Hoc tibi Roma dedit Petrus, quem Christus eundem
Fecerat ante Ducem populi per vrba vocatum:
Hic tibi signauit quasi testamenta cadendo
Concessæ astipulans sorti, decretaq. Diuum.
Numinis ex placito suamet per funera firmans,
Ergo prima piæ fidei clarissima sedes
Æternum salue, vos detrectare magistram
Veri dedeceat sæclis perferre futuris,
Quandoquidem falsi quondam documenta tulistis,
Sunt moniti populi per verba decentia rerum,
Instaurare pios animos, pectusq. modestum;
Antrũ in monte fuit, quẽ feruida Apulia claudit
Edocet hic Michael Diuus sibi templa locari,
Nulla vt sit regio non vllo splendida casu.
Iãm Clotilda fuit Ludouico iuncta marito
Burgundij Regis neptis, sectata fidelis
Ecclesiæ ritus, veræq. insignia laudis.
Munera Legati subeunt Epiphanius idem,
Qui Papiæ pastor fuerat, Laurentius vna
Mediolanensi quondam suffectus in vrbe,
Ad Theodoricum pectus mollire superbum,
Æmiliæ, ac Ligurum dura pro sorte leuanda.
Demi concessum est sua vectigalia rerum.
Rex Theodoricus primum legauit eorum
Victori socians Taurina in sede locato
Ad Gundebaldum, qui Rex Burgundius esset,
Captiuis Italis certam curare salutem,
Ac libertatem pretio repetisse soluto.
Iam Gundebaldus Diuum deposcit auitum
Chrismate, quo signet sese: contra ille fidelis
Deposcit sensus normam per verba professa.
Abnuit infelix, dicto vt parere recuset,

Vt

Vt ſic contigerit tandem perijſſe rebelli.
Nobilis Iſicius fuerat, qui ſceptra Viennæ
Sacrorum tenuit, patri ſucceſſit auitus,
Nobilis eloquio, atq; animi virtute decorus:
Frater Apollineus fuerat, qui ſacra doceret
Iura Valentinos per geſta inſignia clarus;
Quo Theodorico Arriano ſuadere parato
In ſenſu fidei aſſenſum præſtare doceret
Se quidam (indignum) ſenſus per verba fideles
Abiurat, repetitq. nouæ dictamina formæ.
Ergo Rex hominem velut indignatus iniquum
Perfidiæ, ſceleriſq. reum detruncat apertum.
Intuitu alterius quicumq. repellis honeſtum,
Illius ante omnes pariter patiere repulſam,
Ediſcas animi non abieciſſe decorum.
Ecce Deo Trino quidam blaſphemat inique,
Arrianus fuerat, dum balnea perfidus intrat,
Vltorem ſenſit, perijtq. miſerrima paſſus.
Inuadentem hoſtem dure excepere Britanni,
Aggreſſi, & contra certamina inire parati.
Te decus Italiæ referam Benedicte virorum,
Occidui ſtirps alma poli: te Nurſia quondam
Edidit, vt Latiũ excoleres, noſtraſq; per vrbes
Primus forte decus vitæ melioris amares,
Et vexilla Crucis contempta ſorte bonorum
Vanorum erigeres primus, ſectatus honeſtum.
Te pietas decoraſſe poteſt, tibi gratia toto
Arriſit vultu, quo deieciſſe doceres
Humanos faſtus, ac deficientia rerum:
Hæc tibi relliquijs, quas ſecum inferret idolum,
Expurgaſſe dedit noua per miracula terras.
Ergo tibi virtus, & ſpiritus amplior aurem
Vellit, & admonuit falſis non fidere rebus.
Propterea ſalue, ac noſtris conatibus adſis,

Vt


Vt tua sectemur nacti vestigia terris
Impulsi studio, tractiq. cupidine recti.
Misenum quōdam indigna ob commercia lapsũ,
Ac sede eiectum, pacem, sedemq. rogantem
Coram principibus populi, sacroq. Senatu,
Vota facit, pacemq. refert Gelasius auctam.
Rex Gundabundus Libica firmatus in ora
Diras post cædes, eiectaq. corpora patrum,
Eugenij pariter diui, clariq. virorum,
Occidit, immanis vitæ periturus ab actu.
Accepit frater tum Trasamundus habenas,
Si non Arrianus fuerit, laudabilis idem,
Vt qui magnanime pectus vicisse doceret
Aduersantum hominum, donis certare paratus.
Decedit vita Gelasius, ergo sequutus
Surgit Anastasius, qui, dum vetuisse laborat
Missis in partes rerum oratoribus, ipsum
Nomen Acaciacum, quo sic renouetur Eoi
Consensus populi semoto schismate gentis,
Extremis cessit fatis: cui Symmachus olim
Suffectus. verum festo obsistente virorum,
Postea deligitur Laurentius importune.
Diditur in partes clerus pariterq. Senatus:
Tandem conueniunt, Regem decernere causam:
Reijcitur merito Laurentius, attamen idem
Nuceram tenuit lectus, Paschasius ante
Clarus doctrina, ac notæ pietatis alumnus
Schismatico fauisse potest. iam Symmachus instat,
Doctorem Eoum arguere, ac reuocare vagantẽ
Sensibus hæreticis animum: verum impius astu
Deprensum in circo populum, sanosq. tuentem
Atq; aduersantem ferri mucrone cecidit.
Immissum cum sica hominem Macedonius auro
Con-

Constantinæus pastor pro crimine donat.
Schismatici cogũt Synodos renouare frequẽtes,
Sacrorum vt Regem accusent, absoluitur idem:
Author adulterij arguitur per gesta nefandi;
Damnati rursum hæretici per dogmata scissi.
Schismatici Petrum contra te Symmache poscũt
Inquisitorem, Synodus tua damnat eundem.
Schismatici eiecti rursus, Rex adfuit actis,
Ne quis Anastasij iussu misceret in vrbem
Rixarum turbas, auertere certus honores
Symmachi, vt opprobrio pariter Synodalibus
esset.
Dicitur in Synodum cũ Symmachus ire coactũ
Pergeret, aduerso populo per saxa petitus,
Vt cædes fierent, contra nitente virorum
Cætibus electum pariter fouisse paratis:
Decretum, vt clero socius quasi testis adesset,
Vtq. gerendorum, quo posthac fama notari
Desinat, & scelerum causa opportuna recedat.
Decretum est pariter, ne quis pastoris in actus
Surrexisse queat, fidei nisi causa deposcat,
Optanda in patribus mens perfectissima,& actus
Doctrinæ,ac morum,ne scandala pessima surgãt,
At potius reuocent errantum corda piorum,
At potius morbis adsit sua cura sequutis.
Bulgarici populi Thraces vastare frequentant.
Victus Anastasius precio sua damna redemit:
Pontica terrarum motu concussa recenti est.
Francus Clodoueus, Ludouicus postea dictus,
Bello Germanos adiens discrimina passus
Armata cum gente, vouet baptisma piorum:
Tum victor promissa facit, gratatur eidem
Rex Theodoricus, diuinaq. munera confert
Remigius quondam Rhemensi pastor in vrbe,
So

Solemnis Diuus, pariterq. Vedastius habetur.
Adiutor præclari operis: complura bonorum
Remigio, atq; alijs dederat pietatis alumnus,
Sacrarum dum forte parat Ludouicus aquarum
Fonti artus mersisse suos, vt Dia sequantur
Dona animos: Cœlo, (mirum) delapsa columba
Chrisma tulit, claramq. inuecti chrismatis vrnã,
Quo caput eiusdem Regis, Regumq. sequentũ,
Postea sacretur, certo velut omine rerum.
Gallorum o Regum soboles, celebrabile germẽ,
Si vestrum sunt dona Dei, ac cælestia Regnum
Munera, pro Christo certamina vestra laborent.
Græcia cum Christo vertit sua dorsa parenti,
Vos in sortem acti per cælica signa fuistis:
Nunc alios ne forte petat data gratia vobis,
Pergite Christiadum, vt quondam, pia Regna tueri.
In Syria à Cabado Persarum Rege petitum
Præsidium est Amidæ ferro, tum postea captum
Proditione hominum, ac socordi mente malorũ.
Floruit in Syria Monachus, qui dictus Iacob,
Hunc Persæ iaculis, ac stricto in vulnera ferro
Confodisse parant: dictu mirabile, visi
Sistere, vt immotos artus, ac membra referrent.
Ergo Rex Cabadus noua per miracula motus
Rerumq. admonitus, multis comitatus Iacob
Inuisit, sese, quæ vellet cuncta daturum
Pollicitus, tandem casulis concessit asylum,
Vt profugi immunes fuerint. Sic vicit Iacob
Regem Victorem Monacho frænãte superbum:
Tanta vel vnius fuerit reuerentia Diui,
Quem feruens celebrat sua per miracula virtus.
Tres Græci cecidere Duces: tua victa fuerunt
Agmina Persarum a ducibus, tunc oppida ferro
Capta

Capta, prius vi magna auri,ac mercede ſolutis,
Et pax ipſa fuit Græcis redimenda repulſis.
Tunc Barri pontum inuadunt, regna addita
Græcis.
Symmachus, Eccleſiæ quæ quondam addicta
fuiſſent,
Prædia, raptorum è manibus repetita malorum,
Quo rurſum Eccleſiæ reddi contingat, in ipſos
Raptores lecti per publica geſta Senatus
Cæſuræ veluti membri decreta recenſet.
Rex Theodoricus decretis paruit ijſdem.
Iam prætextatus Romæ vir ſanguine clarus,
Delatus Magicæ fuerat, Baſilius vna,
Arripuere fugam celeres: hic poſtea flammis
In pœnam ſcelerum, per quæ ſua corda dicârat
Dæmonibus, iuſte pœnas retuliſſe coactus:
Hunc lapſum quondam ſuſcepit Equitius Abbas
Veſte profeſſurum in vili Monachalia rerum,
Inuitus tamen: at patrio paſtore rogatus,
Vt qui corporeum ſe cernere dæmona dixit,
Cum tamen in fœdum quandã traxiſſet amorẽ
Ille ſui Monacham, cuius curator adeſſet
Idem Abbas, clauſtro eijcitur quaſi perfidus
author.
Si cuius fuerint animi peiora ſequuti,
Vt Chriſtum ignorent, ſiue ignorare laborent,
Intenti falſis, per turpia fœdera iuncti
Dæmonibus, facile non eſt torquere rebelles,
Sed trahit in ſtygios impreſſio facta furores
Pectora cæcorum nigram repetentia noctem,
Turpibus addicta obſequijs, firmata tenebris,
Fræna ſuperbifici ſecum geſtantia patris,
Exoſa æthercam per facta miſerrima lucem.
Hic Abbas nullis hominum virtutibus auctus
Do-

Doctrinæ sortitus erat miracula testes:
Rex Theodoricus Tholo Duce, & auspice belli
Italiæ adiecit vincens noua regna potenti.
Rex Trasamundus stygijs impulsibus actus
Christiadis, si forte deest per funera pastor,
Pastorem renouasse vetat, quo germen honesti
Deficiat, populsuq. Dei dediscat amorem.
Cognita res patres, qui Bizacena tenebant
Oppida, commouit duris succurrere rebus,
Semita qua pateat magis, atq; illudere factis
Infandi Regis, Christoq. fauere parenti.
Ergo collecti, qui pastoralia captent
Munera, decernunt, conspirantesq. docentum
Agmina componunt, quo sic renouata resurgẽs
Eniteat Lybicis iterum gens aurea terris.
Concilium gratum superis, Christoq. parenti,
Vota Dei ex causa late dignissima complens.
Ite alacres lecti proceres in munera diuum,
Seruate è stygijs raptas prædonibus vrbes:
Hæc decet in dias excrescere ouilia mensas,
Quæ scintilla latet tacitis accensa medullis
Ardeat; in cineres, quæ noxa superbit, abibit:
Fætida cessabunt operum, remouebitur instans
Ira Dei, ventis si vestra afflata sinistris
Per fluxum incipiant emittere aromata odores.



E C-

ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER DVODEVIGESIMVS.





Ix patres tetigere locos, vrbesq. petitas,
Atq; humeros oneri, subiectaq. colla dederunt,
Cum Rex exarsit rabie succensus, & ira,
Commoda sollicitus sacrarum auertere rerum,
Gaudiaq, Ecclesijs, quæ forte parata fuissent,
Destruere ex animo, quibus ipse regebat in oris
Arentis Lybiæ pro viribus. ergo ita secum,
Et poterunt nostras sic contempsisse querelas
Atq; aspernati fuerint mea iussa rebelles?
Et nihili faciant nostris obsistere votis?
Me velit inuito Lybicas regnare per vrbes,
Et dare iura alius, ritusq. inferre repulsos?
Absit, vt in patrijs domibus spernamur inulti
Turpiter, & patrijs victi dicamur in oris:
Exilij subeant sedes, quæ regna videbunt,
Grandia dona putant asportatura rebelles:
Sit satis, atq; super potuisse superstite vita,
Optare in patrijs vestigia figere terris:

Sardi-

Sardiniam repetant omnes, ea Regia cætus
Contineat, patres maris ambiat vnda fugatos.
Impius exequitur sua vota indigna, nec vlli
Parcit, in ignotos abeunt pia corpora fines.
Emicat hos inter velut inter sydera quondam
Præcipuum cœli lumen Fulgentius auctus]
Doctiina infusa, atq; animi pietate decorus.
Sunt huius late per scripta volumina campi
Christiadum exculti, ac visi efflorescere rursus,
Rursus odoriferos exhalauere vapores:
Dicitur infensus Rex delectatus eodem,
Vt pollit reuocasse hominem, atque audisse
moratum.
Non te Primasi taceam, qui plurima fando
Commoda Christiadis per verba salubria donas
Symmachus eiectis rerum opportuna ministrat,
Queis possent perferre vices, ac tempus iniquũ.
Heu Lybicæ facies infelicissima gentis,
Quid gregibus fiet? longe pastoribus actis?
Impune in pecudes rabie grassante luporum?
Supra bis centum patres numerantur abacti.
Galla fuit vidua, & virgo non improba Romæ
Quæ Proba dicta fuit, proba re fuit vtraque,
& actu,
Manlius Illustris de diuite Consule iuncta
Secum connubio non discrepante, professus
Se Monachum fuit, vt superas edisceret artes.
Rex Alaricus contracti Codicis edit
Scripta, quibus motas liceat componete lites:
Quintianum hic idem patria de sede repellit,
Cæsarium pariter, sed mox reuocauit eundem.
Dixerat, indigne penitus cecidisse, fideles
Hæretico parere, animis Quintianus apertis.
Instat Anastasius pastorem vrgere seueris
Acti-

Actibus, vt damnet Synodum Chalcedone factā:
Abnuit ille tamen votis parcere petitis:
Italiæ immisso prædatur milite fines.
Contra Alaricum Ludouicus bellaminatur,
Victor adest post bella idem, cum milite cæso
Alarico ipso, Geselicoq. suorum.
Is Petro, ac Paulo diuis construxerat ædes:
Dicitur abscedens in bella optasse paratus
Omina felicis pugnæ, bona verba parentis
Remigij per signa Crucis concessa petenti.
Cum Theodoricus Francis fera bella moueret
Cæsarius captus Romam peruenit in vrbem,
Hic vbi captiuos redimit, tandemq. vicissim
Nil damni passus, patriam dimissus in oram
Sese virtutem Rege admirante recepit.
Cæsario similis soror extitit inclita virgo
Nomine Cæsaria, & pariter præfecta piarum:
Ecce graui morbo Ludouicus forte laborat:
Ardua sollicite Physici medicamina versant,
Cum non proficiant, desperauere salutem.
Decernunt socij diuum accersisse Seuerum,
Hic Abbas Agenensis erat pietate colendus,
Quo precibus contingat agi de corpore pestem,
Ac vi cælesti solui cruciatibus artus,
Accessit Diuus de sede vocatus in ædes,
Per vestem impositā purgat suamembra reatu:
Conualuit pariter, linguæ cui munera desunt,
Nec morbi ex causa obstructa velut aure sonantes
Excepisse ictus, seu verba frementia posset.
Vrbis ad ingressum fœdatum corpora lepra,
Dilecto vt fratri defigens oscula, mundat.
Ah quoties pietas si te comitetur, & adsit
Actibus, indignis valeas occurrere morbis.

In circo Romæ cæsi cecidere frequentes.
Rex Alamandurus, qui saracena foueret,
Incursu hostili Monachorum plura cecidit
Agmina in extremis Arabum, Gerareq. locorũ.
Quendam insultantem Sabæ telluris hiatus
Absorbere vorax potuit, quo territa gentis
Pectora cessarunt animos inferre minaces.
Quidam polluerant Theodori Templa: domorũ
Ergo ijdem referunt per detrimenta ruinam,
Authorem impietas iuste multare videtur.
Intorsit quidam in diui simulachra sagittam:
Effluxit, mirum, inflicto de vulnere sanguis.
Rex Alamundurus Christi baptisma professus
Propterea, vt Christi leges, ac iura sequatur.
Iam Gundebaldo tu Sigismunde parenti
Succedens fidei renuis dictamina falsæ.
Dorotheus scripto Synodum Chalcedone factã
Comprobat, exilij Synodus Chalcedone facta
Causa fuit, secum irato ductore virorum,
Enoticum quippe ille probat, quo perfidus actu
Insimulat patrem, qui sentiat æqua, sacrorum:
Hic lecta in Synodo cum se purgasset abunde,
Exilium patitur: similem suffecit iniquo
Dux sibi, Timotheum patr j dixere vocatum.
Innixus gradibus quidam Theodosius audet
Hæreticos publicis verbis reprobasse rebelles:
Ergo ait, in Christum simili peccare parentem
Dixero perfidia, qui non venerabitur æque
Et quatuor Synodos, totidẽq. volumina, per quę
Discimus asciti in sortem miracula Christi,
Verbaq. Diuinas late referentia leges.
Vir pius eijcitur longe amandatus in vrbes.
Sectarum cœtus versant incendia, cædes,
Ac nisi consilijs Eliæ reuocetur ab ira
Ductor

Ductor Anastasius, studeat deperdere plures.
Orator Diuus Sabas decernitur esse,
Flauiano pulso quod recte sentiat, optant
Hæretici similem, sequitur qui praua, Seuerum.
Occisi plures, qui Flauianæa tuentur,
Symmachus eiectos verbis solatur amicis,
Semota perstare docet rubigine sensus,
Ne quid Acaciacæ inficiant sua pectora sordes.
Elias eijcitur, quamuis tutetur eundem
Sabas: sufficitur Saba adnitente Ioannes.
Hic à præfecto misso cum vincula ferret,
Se velut impatiens vinclorum in publica duci
Poscit, vt errores possit damnare rebelles.
Creditus est fautor per verba futura malorum,
Cum tamen adnixus gradibus, præsente piorum
Ac circumfusa turba, inclamasset in omnes
Hæreticos, ac Nestorij, Eutychijq. sequaces
Scissuram à iustis, fuerint qui mystica Christi
Corpora: Præfectum secedere compulit, vt se
Eriperet populi contra insurgentis ab armis:
Hinc Sabas Diuus ne moliretur in ijsdem
Vltor Anastasius submissa per arma tumultus,
Edicit scripto misso socialibus actis
In sensum hunc Monachis cætuq. instãte piorũ,
Se non passuros fidei decreta moueri,
Ac normam positam, curet sedare tumultus,
Tutari Imperij fines hostilibus armis,
Iustitiamq. sequi, & Christo seruire parenti.
Talibus accensi studio pietatis, iniquum
Consilium auertũt auidi per tela, per ignes
Si sit opus, fidei positam defendere formam.
Talia si populis sæpissime semina iactes,
Non nimium vrticæ, dumetaq. noxia crescant:
Cura tibi subsit rudibus superaddere sensus,
N Ne

Ne pereant, cui forte Deus largissima donat.
Dira intemperies terras vexauit abunde:
Imposuit Solymæ populis vectigal iniquum
Ductor Anastasius, ne forte penuria victus
Dum premit, in fisco non expectata sequantur
Detrimenta rei, quo circa accedere missus
Institit Orator Sabas obstare parato
Maximio cuidam, prædixit damna suorum:
Damna sequuta videt, pacemq. exposcit vt omnē
Auertat pestem iunctura instante malorum.
Rex Alamandurus cum sollicitasse Seuerus
Instaret sese, sua quo fouisse luberet
Felici missos delusit imagine rerum.
Quippe ait, accepi Michaelem obijsse Beatum,
Non potuit fieri, memorant, pro munere missi,
Contra Alamandurus, si quod vos dicitis esset,
Non passus Christus fuerit, quia ponitis vnam
Naturam in passo, patris quem dicitis esse
Dij, sermonem secum diuina trahentem.
Addixit Græcis se forte Boetius, vt nos
Postea sit visus ditasse Beatius auctos
Plurima Aristotelis per commentaria, qui nos
In Physicis turbasse potest falsissima miscens.
Oppida Dæmonibus fuerant obsessa scelestis
Persarum in Regno Cabado regnante virorum,
Iudæi, ac Magici experti diuellere nexus,
Spirituum fortes, certam retulere repulsam.
Ergo sollicitus Cabadus pro sorte suorum
Christiadas vrgere parat, patremq. sacrorum
Difficiles tentasse ausus, vicisse rebelles.
Accitus pastor lecta cum gente piorum
Diuinas fudisse preces, celebrare synaxim
Mystica præteriti signa, & monumenta salutis,
Quam Christus quondam est meritus, dum crimina soluit,
In

In sua traducto subuertens membra reatu,
Perfecisse instat, pœnæq. repellere causas,
Quo pœnam auertat, seu territa monstra recedant,
Noctis, & vmbrarum superis fulgoribus acta.
His ita præmissis, ac pura mente peractis,
Accessere locos, quos agmina Tartara vexant
Christiadum cætus, pastorq. fidelis, eosdem.
Hic vbi transuersa per signa salubria dextra
Dum memorat stygijs victricia ligna cateruis,
Depulit in nigram castrum infestantia noctem,
Et sedi addictas in Tartara cœca cohortes,
Libera seruitio quo Dæmonis esset ab omni,
Totaq constiterit verbo tremefacta sub vno
Regia, & Inferni perfracta potentia regni:
Non secus ac latrans si quando ignaua Leonem
Turba canum excierit lepores petitura fugaces,
Bella parat dubius rerum, aut accenderit iras
Dira fremens, tunc illa timens tenet auia cursu.
Ergo Rex Cabadus noua per miracula motus
Christiadis nocuisse cauet, durosq. furores
Abiecisse studet, libertatemq. fideli
Sanctorum Ecclesiæ, quo securissima rerum
Degat ab incursu nequam, sæpe ante petitam
Donat, vt in primam pastorem euexerit vrbem.
Gratia virtuti sic cessæ addicta videtur,
Sæpe vt momento ditet sua regna sub vno.
Symmachus excessit vita, inde Hormilda vocatur
In sortem patris patrum, ac suprema sacrorum
Munera sub Cœlo consensibus vndiq. gentis:
Is merito Eoas vocat in commercia terras.
Remigij instinctu mittit diademata regni
Hormisdæ patri patrum Ludouicus habenda,

Circumtexta auro, ac gemmis, quæ symbola rerum,
Signaq. subiectas animis memorantia formas.
Ecce suas Hormisda vices impertit eidem
Remigio, is Synodos, per quas Arriana fouëtes
Damnantur, cogit: præsul resipiscere visus,
Arrianus quondam rerum per gesta superbus,
Nunc sese oranti similem, pacemq. petenti
Eiusdem aduoluit genibus, pacemq. reportat.
Iam Rex excessit terris Ludouicus in astra,
Quatuor ex ipso geniti regnasse reperti,
Clotarius, Theodoricus, Clodomirus, & vna
Qui potuit retulisse patris per nomina patrem.
Passus Anastasius gentesq. animosq. rebelles
Territus vt fuerit, visus repetisse feroci
Pectore deposito pectusq. animumq. modestum:
In sedes pulsos vocat, Hormisdamq. colendo
In Synodum impellit, quæ schismata ab orbe repellat.
Vitalianus erat, pro quo metuisse laborat,
Prosit sæpe animis ira irritata nocentum,
In sanum retrahat sensum vexatio mentem,
Quam prius extulerat sors ambitiosa secundis.
Concilium Eoo late commune petente,
Hormisda exposcit causam: legatio missa est,
Communem pacem causam dixere futuram.
Tum Theodoricus pro se mandata ferentem
Communis pacis studio quoq. misit eidem;
Tum studia in tabulis Romani missa Senatus
Hormisdæ coniuncta notis repetentia pacem.
Magnifice excepti, qui Roma accedere iussi.
Ductor Anastasius, quia vano errore trahatur,
Et Græca certasse fide, ingenioq. laborat,
In noua conuertit rerum fallentia mentem.
Ergo

Ergo vbi per tales actus, ac gesta virorum
Ex animis scissuram omnem, ac cessasse tumultus
Sensit, vt in sese rursus conuersa sequentum
Pectora sint, populi memorans quasi vota, quod ipsum
Nomen Acaciacum e sacris delesse recuset,
Subuertit penitus quæsitam in tempora pacem.
Tunc Ariadna perit coniux nequissima, & actu
Impia, quam decuit nullis vixisse sub annis.
Sublimes hominũ cognoscite tempora, per quæ
Sydereos emisse licet per vilia portus.
Hunni Cappadoces vastant, Macedonius exul
Decessit vita, cui cultus Acacius olim
Abstulit, vt superi non deferrentur honores.
Amplexata fidem Gens Himerania Christi est.
Ægypti vexata fuit cacodæmone sedes:
Hæretici Monachi scriptos misere libellos
Propterea, vt scirent alij se sacra sequutos.
Ruffinum armorum statuit, belliq. magistrum,
At Vitalianum gradibus deiecit ab altis
Elatum, quē contra animo, ac mouisse tumultus
Senserat, vt visus sibi conciliasse rebelles,
Ductor Anastasius: qui Vitalianus iniquo
Vsus consilio post Eutychiana recepit.
Visus Anastasius sensus repetisse probatos,
Spemq. dedit vacuam, sibi namque obstare sequaci
Nomen Acaciacum præ se tulit impius vnum.
Ergo patres remeasse studet sua queq. sequutos.
Fertur Anastasius pastorem hortatus, vt esset
Hæretici secum sensus, responsa tulisse,
Quippe ait ille sibi, tu sensus indue rectos
Nobiscum potius, rectos tu concipe cursus,
Iustitiamq. Dei, quæ te sectetur euntem

E terris in cœca aditus vbi purpura nullum
Auxilium dederit, nec mentem euoluet ab actis,
Quæ te non deceant falsis: tua cura perennis
Consuluisse alijs, ac prospexisse petenti
Rebus in humanis: patrum sua cura sacrorum
Tractauisse Dei causas, & mystica rerum.
Tu patres stultos tua per scurrilia iactas,
Et Christi repetis quasi per ludibria nomen,
Nec versas animo, maneat quæ pœna scelestos.
Tantum effatus, & in patriam secedere pergit,
Principe suffuso vultu, vt persæpe, rubore,
Quantum alijs noceas, dum quæ sunt recta recusas
Dicere Adulator turpis, seu territa factus
Fœmina, vt audaces cupiunt diuina Leones.
Hic idem pastor sibi dona oblata recusat,
Ne credas sua corda capi, aut sordescere in auro
Vilis Dorotheus qui Thessala curat habendus,
Qui sua Timotheo miscet commercia falso.
Respice Romanas Vrbes, hinc regula recti
Ediscenda miser, quo sit tibi certa salutis
Semita, fallaces fuerint aliunde vocatæ.
Ergo Nicopoli quem contigit esse Ioannem
Pastorem inductum vidit misisse libellum
Roma suum, quo discutiat, quæ dicta fuissent.
Illyrici patres sunt hæc exempla sequuti,
Dardanici pariter, Græci, Thracesq. frequentes:
Omnia terrarum cessarent scandala, si nunc
Arbitrium placeat Romana ab sede petendum.
Radantur Machiota meis tua nomina chartis,
Vestraq. radantur secum sensisse reperti:
Tu iunior gradibus descende Dioscore ab altis,
Quippe alias sedisse potest Athanasius isthic,
Qui sua Romano subiecit colla parenti.

Pastor

Paſtor Anaſtaſij promiſſa Hormiſda repoſcit,
Miſſi Oratores iterum, data regula rerum
Orthodoxarum, cauit ſubſcribere ſcriptis
Nomen Acaciacum, ne forte repellere nequam
Cogatur, quod conciliet ſibi pectora gentis:
Ergo Oratores dimittere cœpit ab vrbe
Per poſticum ædis, ſic aſpernatus eoſdem,
Fraudibus occulte certans, neu forte paterent
Impia geſtorum miſſi vetuiſſe parati,
Ne quid in ignauum vulgus rumoris abiret,
Clam iubet imponi ratibus, ſatis eſſe, ſuperque
Forte ratus, ſi vidiſſet gens Græca Latinos
Vt populi fieret, quæ conciliatio deſit.
Quid mirum? ſi tota ſubeſt nũc Græcia Turcis?
Turcica Romanis fuerat iam facta colonis.
Euomuit tepidos iuxta memorata Ioanni
Numinis ipſius mens irritata vapores.
Qua ſibi conceſſum, patres per ſcripta notarum
Edocuere pios, hinc eſt occaſio iuſtis
Poſtea damnorum late renouata malorum.
Vexati Monachi ſcelerata per acta Seueri,
Scripſit Anaſtaſius mandata rebellia patri
Hormiſdæ portanda animi monuméta nefandi.
Tunc Lybicus paſtor poſſeſſor dictus iniquis
Obſtitit, & cauſam iuuit per geſta piorum,
Is tum forte exul Græcis degebat in oris:
Ergo Hormiſda videns medicamina ſana repelli
Hic, vbi Anaſtaſius ſe vult geſſiſſe Tyrannum,
Pergit in occiduas animum conuertere terras:
Quippe vices ſtatuit per regna remota gerentes
Ipſe ſuas, docuitq. patres cauiſſe nouorum
Aduentus hominum, ne ſerperet impius error,
Vt ſuper hæréſibus quæ forte vigere putantur,
Examen fiat, ſi qui veniſſe reperti.

Ne lupus inter oues lateat, seu morbida sanos
Inficiant artus membra, aut verba impia iustos.
Consueuere etiam multi, si regna petissent,
In quibus hæretici vigeant, deferre libellos,
Qui, velut oppositum doceant repulisse venenũ,
Ne male decepti sensim mala verba sequantur,
Læthalesq. animus verborum exhauriat vndas.
Tarraconensi in patria repetita piorum
Concilia, vt firmis quasi vectibus ostia claudi
Contingat reserata malis, tutiq. recessus
Seruentur iustis duplicato cardine postes.
Exorata fuit quatuor post tempora Sabæ
Per pia vota Deo pluuialis ab æthere nymbi
Vis ingens, ne diffluerent collecta bonorum
Agmina, quæ Christo seruire parata fuissent,
In desperatas animos vertentia curas.
Si pietas, si recta fides, si iusta requirat
Causa, petas, rapidi veniant in flumina montes,
Totaq. mutato currat natura rotatu:
Non secus ac vacuum si quãdo implere sequutũ
Optauit natura parens, subeuntia miscet
Corpora sollicite satagens in sede repulsi
Supposuisse aliud, causisq. adnectere causas,
Ne rumpant elementa fidem, quasi pacta, perennem:
Tum vero incertos, inspiratosq. recursus,
Et varios repetunt flexus, cœcosq. meatus
Proxima, certa sequi rerum opportuna suarum,
In leges traducta nouas, quasi regna reposcant
Extera, compacti quondam per fædera mundi.
Miscuit in causis Christus medicamina iustis
Opportuna animis, & iura tuenda sequaci:
Decreuit certos fines, ac tempora rebus;
Electis quasi strata via est, clausa ostia cœli
Pecto-

Pectoribus nequam. sic inconfusa manebunt
Fata Dei rerumq. vices, si perdere curæ
Sit tibi fixarum seriem moto ordine rerum.
Ipse Deum rogitem, procul euanescet in auras
Conatus, quo forte vtens peruersa tueris,
Aut stygius, qua se iactat virtute Tyrannus:
Quippe Deus pia corda mouet succurrere votis
Vt quod facturus fuerat, per vota sequatur.
Sed nos sæpe Deum non quærimus, irrita vt adsint
Vota effusa Deo: nam si quæratur, vt adsit,
Ex præscripto idem, tellus ascendet, vt imas
Det Cœlo sedes, Cœlum descendet in ima,
Totaq. mutato fluxu natura feratur,
Vt fiant præscripta Dei pro sorte piorum.
Solatur Monachos verbis Hormisda modestis,
Qui sibi forte prius casus per scripta notassent.
Sæuijt in plures princeps, commota tumultus
Seditio, miserum, præconis voce coegit
Edixisse, olim se deposuisse paratum
Imperij fasces, si se sic velle fatentur,
Sit tumor extulerat, pressitq. modestia gentem.
Sed vero ne quicquam animos versamus iniquos
Cum superi curent decreto numinis orbem.
Visus Anastasio iuuenis, qui certa referret
Verba sub hos sensus, bis septem tempora vitæ
Demo tuæ, infelix hominum, ac miserande malorum.
Facta sequuta fidem verborum. ergo impius ictu
Fulminis occubuit sortes aditurus acerbas.
O miseros homines, superum spectacula factos,
Si bona perpetuo nexu fortuna feratur
Dedeceat tamen iniustos fouisse furores.
Nunc labens ætas, & ineuitabile fatum

Vrget in æterni tranare obliuia mundi,
Attamen immeritis cupiant hærere malorum;
Attamen infandos iubeat miscere reatus.
Aulicus eiusdem, qui dictus Amantius esset,
Dum coniectanti Proclo sua visa recenset
(A sue prostratum memorat se corpora fædo,)
Sensit, se celeris damnatum ad funera mortis,
Et fuit à celeri correptus funere mortis.
Hic Proclus excussit mira quadam arte paratam
Aduersis classem Ducibus, tandemq. nefandam
Exacuit linguam contra præscripta piorum,
Ingenio clarus, penitus virtutibus orbus.
Consensu magno Iustinus Iustus habendus
Imperij in culmen rapitur, diadema decorum
Imponens capiti, ac dextra sceptra aurea gestãs.
Hic prius Augustæ quam nomine, nomine Diuę
Vxorem Euphemiæ decorauit, vt inclyta reddat
Nomina coniugij per nomina martyris isthæc.
Tunc Orthodoxi proclamauere receptas
In populis quatuor Synodos, Synodosque fouentes,
Tunc impugnantum pariter reprobata fuerunt
Nomina de publicis tabulis expuncta virorum,
Per Synodum lectam, per publica gesta piorum:
Tunc Ormisdæ opera simili ratione repulsum
Nomen Acaciacum cum sectatoribus huius:
Constantinæum patrem posuere Ioannem.
Tunc Syriæ Monachi pariter misere libellos
In Petrum intrusum Apameæ, intrusumque Seuerum,
Qui cæsos iustos per vulnera dira trecentos
Dimisit canibus, cum non tumulata fuissent
Corpora, Barbariem titulo pastoris honorans.
Is profugus tandem, quia præcidenda nefando

Principis ex iussu propter blasphema fuisset,
Lingua, procul cessit Mareotica regna reposcẽs.
Suffectum Paulum gens Antiochena recepit.
Per Mẽnam pariter sunt acta probata piorum,
Quingenti vt fuerint supra bis mille sequuti
Normã Orthodoxam certo sub tempore patrũ.
Missi Oratores Roma, scriptumq. probandæ
Formæ argumentum, per quod concepta fidelis
Ecclesiæ pax alma fuit, seu fœdera pacis.
Ecce autem Scythici Monachi consurgere visi
Perturbaturi per talia tempora pacem,
Addere conantes quasi doctrinalia rerum
Concilij quatuor, quippe asseruisse volebant
Vnum è diuinis passum per funera mortem.
Legatos adeunt, qui rem differre parati,
Ne noua consurgant in detrimenta piorum,
Dimittunt Romam, Romam accessere petitam:
Detenti dudum, quo sic contingeret olim
Euitasse noui in verbis dictamina sensus,
Quippe Hormisda, inquit, qui secessere, redibunt
Legati, vt secum vestras audire querelas
Constanter liceat. sic est illusa nouantum
Sollicitudo hominum, seu vocis inutile pondus,
Isti sed Monachi sapiant, suaq. acta sequuti:
In carne assumpta Passum est sua funera Verbũ.
Iustinianus erat, sacras construxerat ædes:
Idem aliquid cinerum Petri, Pauliq. reposcit
Diuorum Hormisdam, quod condat in ædibus ipsis.
Romano de more capit, sed proxima tantum,
Nam pietas hæc ipsa sibi satis esse recenset,
Dorotheus Presul, tenuit qui Thessala, euntem
Ad se Legatum indicti pro pace Ioannem,

Sauciat aggressum, bini de gente necati,
Atq; hospes secum: delati cognita res est,
Ordine seruato iuris de more recepti.
Ipse Heracleam occisor propulsus in vrbem,
Pro scelere audaci penitus non digna reportans,
Exulat ad tempus, quianam corrupta fuerunt
Iudicia, & dictus leuiter peccasse, nocendo.
Gratia, quæ causas sæpe importuna reorum
Efficit impunes, sceleri lata ostia pandit.
Vrbe ab Alexādri quæ dicta est nomine Magni,
Pressus eras Iunior suffecte Dioscore fatis:
Timotheus reprobi sensus successerat auctus,
Quæstio tum cæpit permagna videlicet inter
Iulianū quendam assertū, reprobumq. Seuerum:
Quippe vnus posuit, quasi corruptibile Christus
Quid fuerit; contra non corruptibile dixit,
Qui sensum oppositum docuit. e iam soluere nobis
Vestra licet: Christus, qua nostra humana tenebat
Nomina prima petit de se; qua dia fouebat,
Altera deposcit nunquam passura refluxus,
Et nunquam subitura vices varianda per actus.
Iam Vitalianus ferro confossus in aula est,
Constantinææ posthæc Epiphanius vrbis
Prima tenet, scriptis qui cum de more deesset
Officio, rerum primum docuisse parentem
Arguitur verbo, quo prætermissa reposcat:
Destinat is tandem sua mittere munera Romam
Ex auro sacros Calices, & puro argento
Cum Gemmis, Patena. & purpureo ornatu.
Consulit Hormisdam possessor, qui sua contra
Scripta dedit responsa ferens, Monachosq. rebelles

E Scy-

E Scythicis quos ille refert, miſcere tumultus;
Addidit occulte Roma aufugiſſe repertos,
Vt qui pro ſenſu hæretico fortaſſe timerent.
Dorotheum, & ſocios Hormiſda redarguit acri
Cenſura, vt certa poſcat ratione doceri
Succeſſus cauſam immeriti, & contracta reatus,
Dum male Legatos mulctauit vulnere miſſos,
Reſtitui in ſedes iuſſit de ſede repulſos.
Dimiſſi Roma Legati Principis, oras
Eoas repetunt: non his conceſſa fuerunt
Nomina, quæ tabulis vellent miſcere piorum,
Et ſua de Chriſto fluxit deciſio paſſo.
Moribus infandus Paulus fuit, abdicat ergo
Se de ſede miſer, cuius cæpiſſet habenas.
Pectora ne rudium credant vitioſa ſequentem
Non poſſe in ſenſu non erraviſſe fideli
Ergo ſufficitur cedenti Euphaſius, vt ſic
Per mores pia forte fides laudata niteret.
Principis ex iuſſu ſacras Mareoticus auctus
Occupat Aſterius patrijs in ſedibus ædes,
Vt Patriarchali decoretur nomine gentis.
Brigida diua dié clauſit Scota virgo ſupremũ.
Traſamundus adhuc viuens cum prælia Mauris
Inferret, miſſo infelix pro milite cæſo
Aduocat ex triſti mortem mœrore ſequutam,
Hic Hildericum, quem forte in ſceptra petebat
Hæredem, quianam certo peritura ſupremum
Membra ſui ſenſim vita cedente videret,
Per iuramentum obſtrinxit prohibere piorum
Conuenaus, & ſacra hominum, dum regna manerent.
Scilicet Arriani fautor certiſſimus actus
Traſamundus erat, iura Orthodoxa repellens.
Ergo Hildericus, quo deluſiſſe liceret
Au-

Authorem facti, sic, vt iurata tenerent
Verba fidem, nondum sceptro, ac diademate sumpto,
In sua præcepit patres remeare domorum,
Sacrosq. effracto reserari cardine postes.
Patres optati sedes tenuere receptas,
Et visis patribus Ciues in gaudia fusi,
Templaq. diuini cultus fouere ministros.
Sed tua quæ crudum vesania pectus obiuit
Trasamunde miser? quanam ratione patebunt
Ostia templorum, tua quo peccata recedant,
Si tu diuinis occludere cultibus ædes
Templorum sacras pulsa pietate laboras?
Scilicet à letho, male qui regnasse videris
Viuus adhuc, tua dum delerunt agmina Mauri,
Clara gerendorum fuerint, patresq. repellas
Sacrorum, & voto claudas sacra templa perenni.
Quàm sæpe impellunt mentem male sana rebellē
Ac studijs eadem vanis quam sæpe trahetur,
Si non in Christo penitus fundata resistat.
Constantinæam Zarus deuenit in vrbem,
Lazorum Rex ipse fuit, petijsse volebat
Symbola Christiadum cordis renouantia sensus,
Obtinuit veræ fidei amplexatus honores.
In Regno Æthiopum iustus dominatur Elesbas,
Prauus Homenitis Dunas, Hebræa propago:
Idem sæpe fuit iuste deuictus in armis,
Sed tandem valide reparato milite victor
Euasit Dunas, turmis hostilibus actis,
Occisisq. etiam: in patriam remearat Elesbas:
Ille vrbem inuadit Nagram, tum fraude subactā
Diripit infandis placitis, ac cæde peractis.
Ergo Iustinum facile conuertit, vt omnes
Incitet, Hebræi Dunæ perstringere vires.

Di-


Dicuntur Nagram cum forte intrasset in vrbem
Dunas, nec ciues posset reuocasse repertos
A recto fidei sensu, votisq. piorum,
Martyrio affecti per vulnera sæua frequentes
Aretas quos inter erat celeberrimus horum.
Tradita succensis fuerat pia fœmina flammis,
Mater erat: natus cum matrem forte videret
Vexari flammis, quamuis ætate tenellus,
Irruit in medios ignes laturus honorem
Martyrij, factis profitens baptisma colendum.
Felices actus, per quos gemmata refulgent
Corpora, sydereas late vincentia luces.
Ille Alamandurum, & Cabadam exhortatus in arma
Contra Christiadas duro decernere ferro:
Iustinus retrahit, nequam oppressisse Tyrannum
Suadet, & Imperium monstris purgare nefandis.
Iustinianus erat, dederat spectacula Consul,
Constantinæa longe clarissima in vrbe:
Tunc gladiatorum vetitus concursus in armis,
Cum sæuis certasse feris repetita facultas,
Immanis visa est ea carnificina virorum:
Maximus hæc eadem dederat spectacula Romæ,
Præmia promeritis sed detrectauit honoris,
Soluere, propterea passus, de more querelas.
Hormisda occubuit: pro diuo oblata vicissim
Rex Theodoricus cerostrata bina dicauit
De puro argento fabrefacta ingentia Petro,
Libras triginta minus importantia centum.
Sacra Euangelia è Grecis allata fuerunt,
Ex auro fuerant illis tegumenta probato.
Ipse Hormisda prius sacri tabulata recessus
Ad Petri Diui contexerat ex argento,
Quadringentarum sed supra mille librarum:
Chri-

Christiadis præfectus erat de more Ioannes.
Tertullus fuerat, Placidum, sua germina, misit
In Sublacensem mores ediscere terram,
Mores Christiadum qui perfectissima tractent,
Sub Patre sanctorum Benedicto: adiungere diuo
Eutychius puerum potuit, sua germina, Maurũ
Non hic bissenos, septem ille excesserat annos.
Fama viri multos dona in cælestia traxit.
Ite alacres Cœli patrij sub sydere nati,
Vestra salus agitur, iam vestro munere tellus
Gaudeat, haud rapiant alieni pignora vobis,
Pignora cælituum late diffusa fauore:
Simbruini Montes in cælica præmia surgant,
Solliciti quærant veræ pietatis honores:
Pande sinus inculte tuos Simbruine petitos,
Perfectæ hinc habeant vitæ fundamina gentes,
Vestræ diuitiæ refluant in dona nepotum.
Iam vero Rex Æthiopum, qui dictus Elesbas,
Iustino suadente sibi noua prælia miscet
Aduersus Dunam, superat, captoq. potitur,
Vt tandem perimat: grates agit inde salutis
Authori Christo, Solymam diademate misso.
Ipse in secessu montis seruire parenti
Sydereo satagit, vestigia sana sequutus.
Patris Areta tenet firmatũ in tempora Regnũ.
Euphemia vita functa fautrice bonorum,
Assumpta Augustæ munus Theodora subiuit.
Regressi patres Lybici in sua munera, lapsos
Restituisse parant ritus, moresq. sacrorum
Per Synodos lectas, quas decreuere frequentes:
Inter præcipuos longe clarissimus vnus,
Sic quasi gemma micans, Diuus Fulgẽtius extat
Clarus virtute, ac docto sermone disertus.
Legis diuinæ studio Iustinus adactus,

Per-

Perfidiæ authores toto ex Oriente fugauit.
Scilicet indignum supremo Principe gentis
Censuit hæreticos in fœdera poscere pacis,
Et quasi corrupto nutriri sanguine corpus.
Soluite colla iugo, disrumpite fœdera Reges:
Hæc iuga qui patitur, qui non hæc vincla recusat,
Seruus erit, duroq. iacet sub compede vinctus,
Vt sibi quærantur solum, non commoda Christo
Quem si diligeres, impensius oderis hostes,
Mystica læthali perdunt qui corpora succo.





ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM

LIBER VNDEVIGESIMVS.



INſtabilis quoniam curſus primordia captas,
Impie, & in lubrico figis veſtigia plantis,
Noxia dum repetis, facile peiora ſequutus,
Ac tua ſubiectis animis quæſita voluntas,
Vt iuſtus videare tibi, nobiſq. videri
Forte aueas, famæ cupidus melioris in æuum,
Dum quaſi raptantur Zephiris tua vela ſecundis
Ac tua vota cadunt noſtris incommoda rebus,
Dum tibi non obſtant velut importuna proborũ
Conſilia, & plenis arridet vultibus orbis:
Interea ſimulata alijs tua pectora geſtas
Moreſq. humanos prætexere pergis, & actus,
Vt quaſi lacteolos ſpargant tua membra liquores
Et quaſi nectareos ſpirent præcordia ſenſus,
Et quaſi mellifluos reſonent tua verba ſapores,
Alba ſuperfundis circum putentia late
Oſſa ſepulchrorũ, graue olentibus addis odores,
Ne fugiat putres gens circumfuſa vapores:

Fellis

Fellis amaritiem vestire putamine certas,
Aurea quo rudium fallantq; quasi tegmina mentes
Si vero superum sic disponente Senatu
Ordo superueniat rerum per regna nouarum,
Si fluere incipiant, ac retro vota ferantur,
Si placitis obstem, quorum sua forma libido est,
Si renuam pacis fœdus subijsse nefandæ,
Ac menti reuocem non contemnenda decori
Iura, Tyrannorum spe deficiente malorum:
Illico personam abijcias, quæ vultibus hæret,
Ac doceas pectus temet fouisse malignum,
Ac lubeat pariter tristes mouisse tumultus,
Ac tentes versare dolos, & fallere verum,
Ac velis indignos iustis inferre reatus,
Et cupias cædes intermiscere nefandas,
Ac possis dextra colaphos impingere Christo.
Arrianæ sic perfidiæ patronus, & auctor
Rex Theodoricus, qui nondum offendere visus
Velle pios quo nulla Arrianis damna sequantur,
Vt vidit contra rem successisse petitam,
Mente ferox, iraq. ardens per scripta monere
Iustinum, vt reuocet mandata fidelia, cæpit.
Ille autem remouenda sibi sua perfida mentis
Consilia, & sensus retulit, pectusq. superbum,
Quippe Dei causam se per sua iura recenset
Fouisse, atq; actus cupere amouisse rebelles
Diuinæ menti, non exercere scelestos.
Ergo is Pontificem summum compellere versat,
Qui sedes adeat pro se Legatus Eoas.
Quippe alias, inquit, si non lex ista recedat,
Subuertam Italiam ferro certare paratus,
Vt pereant, qui non mecum sensisse reperti.
Munera Legati vult assumpsisse Ioannes,
Non vt perfidiæ fautor damnabilis esset,
Sed

Sedquo deludat per gesta morantia Regem:
Accessere viri claro de sanguine secum,
Vt socij rerum, ac testes. Iustinus abunde
Fungitur officio, agnoscens, vt honoret in illo
Pastoralem apicem: mox Arriannæa Ioannes
Templa dicat ritu sacro, quo noris aperte
Præuaricatoris se labem odisse nefandam.
Vrbe Corynthiaca pullum conscendit equarum,
Mox Dominæ reddit, dederat nam fœmina in
vsus.
Is fræni, mirum, impatiens, est postca factus,
Vt mitis fuerit, pondusq. subire soleret.
Constantinæa, qua dicitur aurea in vrbe
Porta, fuit cœcus, pastorem impensius orat,
Exoratq. diem, quo se cognouerat orbum,
Concurrente Deo per vota fidelia secum.
Totus honorifice populus progressus ab vrbe
Bissenum ad lapidem cum clero occurrit eidem.
Iustinus sacrorum apicem admiratus adorat
Pronus, & eiusdem manibus diadema reposcit.
Rex Theodoricus,quem perfida cura remordet,
Dicitur, illusum quia se cognouerit actu
(Vt merito illusus fuerit) damnasse Ioannem
Compedibus, multosq. alios virtute decoros
Occidisse reos factos, quos Symmachus inter,
Et qui laudatus persæpe Boetius esset
Vocibus eiusdem, doctrina, & sanguine clarus,
Cuius metra extant veterum æquiparanda poesi
Quin etiam (indignum) quæ munera sacra no-
uandi
Pastoris Romæ, sibi desumpsisse volebat,
Felicem vt vocitet, quanquam consensit abunde
Postea legitime clerus Romanus in illo.
Simplicitas animi late curanda videtur,
Quippe

Quippe Deus duplicem si te cognouerit esse,
Scandala permittet tua quæ vestigia lædant,
Præcipitemq. trahant in pessima abire paratum.
Non vos pœniteat iustos pietatis amore
Accelerasse diem supremum, & funera vobis,
Causa manet laudis, sed non sic vita maneret.
Rex Theodoricus, quia conscia pectora cogunt
Criminis, in mensa piscis caput aspicit ingens
Allatum de more sibi. perterritus hæsit,
Symmachium vidisse senem sibi visus in esca,
Se torue intuitum labris, atq; ore minantem:
Ergo metu sua membra rigent, mors occupat
artus,
Altera mutato fiunt sua membra colore.
Hem qui terrarum terror paulo ante fuisset,
Et qui Christiadum vellet subuertere cætus,
Nunc tãdem decũbit humi sine nomine corpus.
Disce pios seruare animos virtutis amator:
Nemo olim gradibus tua pectora turbet ab altis
Vt seu deijciat, seu flatu extollat inani,
Sit tuá spes Christus, Christus fundamen ho-
nesti,
Nec male desipias, quamuis ruat ætheris axis,
Et cupias tenuisse modum, mentemq. modestam:
Non aberit tua certa salus, aduersa recedent.
Trinacriæ Monachus quidam degebat in antro,
Hic Theodoricum sibi cernere visus eadem
Regem hora, penitus discinctum corpora veste
Nudatumq. pedes, palmasq. ad terga reuinctum
Æthnæam, quæ dicta fuit vulcania, in ollam
Immissum, vt flammis addictus inhæreat ignis,
Æternum, iuxta superi decreta parentis,
Vt quasi iudicijs condemnaretur ab æquis
Symmachi, & occisi secum non iure Ioannis:
Infe-

Infelix pœnas qui non aduertit in æuum,
Ac metas sceleri positas, nec fata malorum,
Atq; grauem nimium diuini pectoris iram:
Corpora defuncti vita tumulata Rauennæ.
Amalasuntha capit, quæ Regia filia Regnum,
Athalaricus erat, pro quo tutricia verset
Munera: vix octo puer is compleuerat annos,
Hunc Eutharico quõdam Amalasuntha crearat:
Hæc occisorum natis ablata bonorum
Concessit, quippe abstulerat sua prædia cæsis
Rex idem, atq; auctis opibus spoliarat eosdem.
Hinc est pro puero per iuramenta Senatus,
Ac gentis patriæ Regni firmata potestas.
Erudiendus erat iuxta præscripta parentis
Romano de more puer, sed perfida gentis
Corda obstant, patriumque volunt præferre Gothorum.
Cis Rhodanum puero manserunt regna notato,
Ast Alarico, quæ trans, concessa fuerunt.
Iam Segericum Burgundo Rege creatum
Accusat patri priuignum iniusta nouerca:
Credulus is natum perimit, tandemq. peremptũ
Deflet, vt agnouit sese non æqua sequutum,
Mactans per lachrymas, ac per ieiunia corpus.
Hunc Rex Frãcorum Clodomirus postea captũ
Vna cum natis, & chara vxore necauit,
Pro vita quamuis intercessisset auitus
Abbas Nutensis. proiecta cadauera fæde,
Ac sine honore solo consueti funeris extant.
Tu sortem humanam magni fecisse recusa.
Sigismundus erant prædicti nomina regis:
Extrahitur puteis, in quos proiecta fuissent
Corpora, & à monachis Cænobia in ampla refertur,

Quæ

Quæ quondã extruxit proprijs de sũptibus idẽ
Hic vbi fecerunt suamet miracula clarum,
Acceptante Deo contriti pectoris actus,
Atq; accersitas pro certo crimine pœnas.
Cænobita fuit Theodosius inclytus actu
Virtutis, patrum princeps Monachalibus vsus:
Accitis idem Monachis commendat Eoi
Sedibus Imperij per vota repellere damnum,
Quod noxæ pareret: quippe inquit, ceruo futurũ
Vt mala proueniant non expectata nocenti.
Ergo die sexto diui post verba sequutis
Et rapida flamma, & magno telluris hiatu
Absorpta est patrijs vrbs Antiochena sub aruis,
Innumeri pereunt, Euphrasius occidit vna.
Zosimus hæc eadem diuus, cum longius esset
Atq; Palestinam incoleret, quo tempore motu
Telluris concussa fuit, suspiria ab imo
Corde trahit, magnis & questibus ethera cõplet.
Exposcunt causam socij, tum retulit idem
Antiochenæ vrbis videor sensisse ruinam.
Tempora cognorunt correspondentia rebus,
Qui voces sensere suas. Concussa Corinthus
Dyrrachiumq. vrbes, atq; Anazarbus Edessa
Fluminis incursus passa est: vtranq. nouauit
Iustinus, proprio vocitans à nomine gentes.
Post cladem in luctu sedit Iustinus acerbo,
Nobile deposuit multis diadema diebus,
Ac secum degit seiunctus in ædibus, vt sic
Mærorem cordis possent cognoscere ciues.
Magna vi reliquis auri præsto esse laborat.
Ni pereant omnes, superi sunt dona parentis.
Chuzubita fuit, patrij dixere Ioannem,
Effossum hic oculum, cui forte fuisset ademptus,
Facto restituit quondam diuinitus orbo.

Iam

Iam Leo suscepit, decuit quæ sarcina quondam
Zosimi in obsequium, quia forte vorasset asellũ.
Altera Tarsensis Maria est, Maria altera Nili
Dicta Ægyptiaca à populis: meretricia gessit
Vtraq. famose, tamen vtraq. postea passa est
Contritos animos, & puri pectoris ignes,
Concurrente Deo secum in dignissima rerum
Munera, vt ediscant non desperasse frequentes,
Si qui forte prius decepti crimina versent,
Petrus erat, Solymę rexit sua munera sedes:
Ephrē pastor erat, reliqua Antiochena tenebat,
Is terræ quondam fuerat præfectus Eoæ,
Iam donis sarcire suis ea damna laborat,
Ne pereant penitus, quæ permansere ruinis.
Ecce Seuerianus celsa de sede columnæ
Non secus, atq; nouus stilites, perfidus auceps
Falsa docet gentes. sic degenerasse videntur
Res persæpe hominum, vt tandem in peiora fluamus.
Ergo Ephrem studio fidei permotus, eodem
Concessit, pectus tentans reuocare, quod erret,
Ac fallat pariter deceptus imagine veri.
Impatiens moniti non pertulit ille magistrum,
Indociles gestans animos, lateq. superbos.
Ergo ignis de more idem, vt deterreat Ephrem,
Experimenta petit: non experimenta recusat
Ille lacessitus, mutata mente resistit:
Igne Seuerianus succenso, ac territus hæret,
Vt flammas renuat pro conditione petitas.
Ergo Ephrem pastor precibus super æthera fusis,
Et Christo fidens, sacram proiecit in ignes,
Quam gereret tum forte stolam, tandemque recepit
Intactam è facibus, non offendente fauilla
Pignora

Pignora diuinæ fidei, tribus inde peractis
A iactu horarum spatijs, deponit iniquam
Hæreticus mentem, causam admiratus, & actus,
Vt Christum laudet, diuinum & numen honoret
Tanta potest pietas supero firmata fauore.
Sanctorum Nerei, ac delubra nouarat Achillei,
Priscillæ pariter diuæ, Felicis, Adaucti,
Ac Diui Petri, quem sic cecidisse Ioannem
Diximus, vt, cultu quo consectanda perenni
Vera foret pietas, præclara exempla relinquat.
Iustinus sibi dona dedit ter pallia quina
Texta auro, & Calicem ex auro, sacramque Patenam
Ex auro pariter, circum quæ gemma niteret,
Vrceolos quinos sibi fecerat ex argento,
Ædibus hæc sacris pastor bona cuncta dicarat,
Iustinianus erat, quem designarat Eoi
Hæredem Imperij Iustinus auunculus auctum
Nomine Cæsareo prius. Hic cedente diebus
Iustino sua sceptra capit, diademata Regni
Imponit capiti, ac solij decora ampla recepit.
Vt primum assumptus fuit in fastigia rerum,
Prædia Christiadum Ecclesijs donata remisit.
Hunc Iustinianum per scripta Agapetus apertè
Edocuit formam Imperij, legesq. gerendi.
Athalaricus amat misso oratore locorum
Fædus amicitiæ, secum vt iunxisse reposcat:
Sed non propterea non exagitauit iniquos
Arrianos Cæsar, nam per sua iura rebelles
Vt late eximios hominum frænauit abunde.
Ipse suæ fidei per publica dicta professum
Dogma aperit, verum reuocat, falsumq. repellit.
Regem Persarum Cabadem sibi debita poscit,
Princeps Eous misso oratore virorum

Abnuerat rebus velle indulgere petitis
Persarum Princeps Cabadus, non iste moratus
Spe certa insignem, & clara virtute probandum
Decreuit Belisarium, qui præsit in armis:
Huic Belisario prudens Procopius hæsit,
Qui sibi consilio prosit tutatus eundem,
Et scriptis rerum monumenta perennia signet.
Non importune stimulis acuetur honoris
Et famæ instantis vis militis, vt tua miles
Virtutem deceat propellere corda fidelis.
In Syria Persæ victi, pariterq. fugati,
Vi supera in Persas retro torquente sagittas,
Certarunt iterum Persæ, pariterq. repulsi
Armeno in Regno reparati viribus hostes.
Tunc Narses profugus cum fratribus in tua Cæsar
Castra adiens Cabado Persarũ à Rege sequutus
Dignius auspicium, victriciaque agmina cessit.
Excipitur placide Narses, donauit eundem
Princeps quæstura, officijs certare paratus.
Inde alias victi Persæ Mirrhane virorum
Principe militiæ, Cabadus mulctauit, vt auro
Desineret vincire caput, gemmaq. micanti,
Opprobrium hoc genti quondam, Romana tuentur
Amplexati Eruli Christi baptisma parentis.
Tzazo Persarum cum Cæsare fædus iniuit:
Rex Persa exosus bella intulit ardua Tzazo,
Tutatur Cæsar iunctum per fædera Regem,
Atq; Duces Belisarium, Kericumq. Petrumq.
Esse dedit gentis. discordia mutua missis
Obfuit, vt Persæ fuerint per bella retusi.
In bello Kericus subtegmine dicitur vsus,
Quo consueuisset Monachus Theodosius vti.

Ergo

Ergo ardens animis hostilia castra peremit
Aggressus Kericus, prædamq reportat opimam.
Nostris Hunnorum Regina Boazer adhesit,
Rex etiam Hunnorũ qui dicitur Horda, petita
Dextra Cæsarea Christi baptisma recepit.
Iuliana Anicia, & gemmis ditissima, & auro
Diuo Polyeucto ex auro construxerat ædes,
Cuius Polyeucti miracula clara feruntur
Contra periuros: ergo miratus eandem est
Cæsar, qui gemmas, atq; aurea mutua vellet
Pondera, vt aduersos subsistere posset in hostes.
Fœmina, Anastasiam patrij dixere vocatam,
Hæc Monacham sese, quo Christus in astra recessit
Colle professa fuit, diuas imitata per actus.
Felix Romanæ pastor felicius vrbis
Exorat legem, qua cleris lege cauetur,
Immunes à iudicijs perstare prophanis.
Pascales nouat exiguus cognomine Cyclos,
Et cogit canones, qui dogmata sacra docerent.
Hermenefridus erat, Thuringes ille regebat,
Bertharium fratrem occidit, Clotarius ipsum,
Qui sibi connubio Radegundē iunxit ab armis
Captiuam ductam Berthario patre creatam,
Hic etiam sacras rapuit Clotarius ædes:
Impositæ plaustris res, plaustra morata resistũt,
Vt cessisse locis, præda vel abire relicta
Non possint: Medanda vocant, retulere rapinã,
Vt captiuati fuerint captiua tenentes.
Amalafrida prius Trasamundo nupta marito
Dira Hilderici perijt percussa securi.
Quæ Iustinianus iuri conformia sacro
Viderat, in leges depromere nititur æquas,
Vt sacrum accipiat sua per ciuilia robur,

Ac norint sese ciuili iure prophani
Pro sacris vinctos, pœnisq. subesse duabus
Vt possit contra duplex decernere iudex,
Seu laycus fuerit, seu sacri ex ordine cleri,
Si læsisse tibi lubeat, quæ sacra fuissent,
Dilige, non egeas duplici quasi fasce, vel vna,
Tu tibi lex fueris, si te trahat ardor honesti,
Texuit hic idem late ciuilia legum.
Concussa est iterum motu telluris iniquo,
Quæ quondam Antiochi de nomine nomina traxit,
Vrbs, quæ dicta aliter post ista Theopolis esset.
Ruspensis pastor cessit Fulgentius æuo,
Hunc septem decies afflictauere diebus
Contracti morborum æstus: vox vltima diui est,
Adfuerit nobis merito patientia viuis,
Vt licet immeritis fluat indulgentia functis.
Euolat in superos mens immortalis honores.
Multi extant diui, & multi periere librorum,
Vt quasi sit visus rursum secedere terris,
Hic vbi seiunctam passus de corpore formã est.
Ruspenses crudi Mauri inuasere petitos,
Vastantes raptu, flammis, ac cædibus vrbem,
Tu flores vita functo Ferrande magistro.
Iam Sublacensi Diuus Benedictus ab antro
Cassinum in montem depellere dæmona pergit
Quod male sacratum hic reperit, confregit idolum,
Ac bene, quas reperit, disiecit Apollinis aras,
Dæmona reiecit, qui se persæpe videndum
Obtulit, horrendum inclamans, quo territus inde
Longe abeat Christi miles, victusq. recedat.
Perge pater, repulisse stygẽ: quæ Regia idoli est,
Regia

Regia perpetuo fuerit tua iura sequentum.
Quem Theodoricus Monachum persæpe monentem,
Damnantemq. videt sua gesta, in regna sacrorũ
Extolli Treueris curat, Nicetius esto,
Nomine, virtuti vt veræ sua præmia poscat
Quæ vultum metuisse negat, rabiemq. potentis.
Absagi populi fidei baptisma professi,
Cæsar ibi sacras missis doctoribus ædes
Struxit, vt edisçant merito discenda fideles.
Eunuchi fieri vetiti ob discrimina vitæ.
Tzani deuicti sunt hæc exempla sequuti,
Abiecta feritate animi, morumq. malorum,
Fædere Cæsareis iuncti victoribus æquo.
Regnum Hilderico Gilimer sobrinus ademit,
Hunc Hildericum, atque Amerem, Eugeniumq. repressit
Compede, qui fratres fuerant, & lumina fodit
Turpiter, vt Regni sit desperata potestas.
Heu miseras hominum sortes, heu cœca malorũ
Pectora in infandas animos vertentia curas.
Regem inuasorem per scripta redarguit acri
Insimulans verbo Cæsar, defendit iniquos
Rex actus responsa ferens quasi iusta sequutus,
Sanguinolenta Duci cedit victoria Persæ.
Vndiq. compellit populos in prælia Cæsar,
Certus in hostiles iterum consurgere turmas.
Occidit interea Cabadus, mox fædus initur
Cosrohoe cum nato Cabadi sibi iusta petente,
Iam Samaritæ turbas miscere parati
Franguntur bello, sed Samarita fideles
Accusans vafer vexat, qui forte fouerent
Regna Palestinæ, Sabas accitus ab ira
Iustinianææ soluit præcordia mentis.

Tum Samaritæ compressi lege scelesti:
Hinc etiam obtinuit Sabas extructa sacrari
Templa Deo, ac Diuæ Matri, sibi dona recusans.
Augustæ sterili poscenti germina diuum,
Alludens sectæ, quam sumpserat illa sequendam
Abnuerim, ne forte nouum generasse Seuerum
Contingat, retulit, iustos turbare paratum.
Vexati Samaritæ baptisma professi.
Rex Theodoricus Francorum inuaserat vrbes
Aruernæ fines: plures sacra Templa petebant,
Euitaturi sortes, quas arma tulissent.
Sacrilegus miles quo prædaretur inique
Conscendit Templū effractis non iure fenestris:
Hunc lapsus cœlo absumpsit diuinitus ignis,
Hi vitam exhalant correpti dæmone corpus:
Reddita sunt Dominis quæ sunt ablata repertis.
Iam Theodobertus defuncto patre diebus
Arguitur, late cum multa iniusta patraret,
Eijcitur sacris: obstat parere Tyrannus.
Pastor erat diuus Nicetius: ergo puellus
Dæmone corripitur, Regis peccata recenset,
Interitum minitans: Nicetius ipse per hostis
Ora celebratur. sic victa superbia Regis,
Ædibus vt sacris decesserit, & sua vitæ
Mutarit gesta in melius mage sana sequutus.
Rex Theodobertus Legatos misit in vrbem
Constantinæam fædus componere pacis.
Occiderat Felix, Damiano Templa dicarat,
Et Cosmæ diuis: Bonifacius inde creatur.
Attamen aduersus tu schisma Dioscore conflas,
Scissuram remouet tua mors inopina sequutam.
Sollicitus rerum Bonifacius eligit, à se
Qui regat Ecclesiam pastoris munera versans
Designaturus, ne forte prophana potestas
Vsur-

Vſurpet ſibi perpetuo, quæ debita clero,
Nec ſine concilio vult diſpoſuiſſe coacto:
Improbat hinc eadem, quæ ſe feciſſe videret,
Poſtea, vt immerito ſeſe nouitatibus vſum
Diceret, inſidias nam forte parauerit alter,
Ac Reges poterunt deſignauiſſe nouandos,
Vt non tollantur, potiuſq. incommoda creſcant:
Sed fuerit tentaſſe ſatis, niſi Petre rogaſſet
Pro nobis Chriſtus, fruſtra vigilaſſe labores.
Occiderat fatis Bonifacius actus acerbis,
Is Romæ Diuo Michaeli extruxerat ædes.
Romanum patrem ſtatuunt, dixere Ioannem.
Childebertus erat, qui iunxerat Amalarico
Hiſpano Regi Crotildem forte ſororem,
Indigne accipitur mulier, monet illa remotis
Degentem in Regnis fratrem, mota agmina contra:
Perfidus opprimitur fugiens, mox Theudus iniquus
Sceptra capit, Childebertus gemmaſq ſororẽq.
Aſportat ſecum, atq; auri fabrefacta bonorum.
Theudus erat ſecta Arrianus: conceſſa fideli
Eccleſiæ pax alma fuit, qua regna tenebat.
Inde Toletanum Montano authore ſequutũ eſt
Concilium, vt ritus reparet, moreſq. ſacrorum.
Fertur Montanus, quo ſe purgaret ab actu
Indigne oppoſito prunas geſtaſſe calentes
Illæſcs teſtante Deo ſincera petiti
Corda viri ſtudio nouarum, & fraudis iniquæ.
Ecce autem Cæſar veſano more furentem
Per gladium appetitur, coniuratiq. rebelles
Exacuunt animos contra diadema gerentem,
Scilicet Imperij ſibi debita ſceptra ferebant,
Vt pote Anaſtaſio conſanguinitate propinqui,

Triginta & supra perierunt millia gentis
Pectore in aduersos cōmoto Principis hostes.
Tres ibi comperti, qui seditionis acerbæ
Authores fuerant, Pompeius, Hypatius, & qui
Dictus erat Probus, at tantummodò nomine talis:
Priuatis vetita arma viris idcirco fuerunt.
Tum Sabas abit in superos, terrestria ponit
Fallaci nexu mortalia membra solutus;
Tunc etiam Antoni cinerum pars magna tuorū
Inuenta eximio cultu delata sub vrbes.
Error Origenei rursum inualuisse refertur.
Concussæ mentes decreta reuellere certant
Quorundam studijs, pulsatur dogmate Cæsar.
Missi Legati Romam, secumq. professæ
Conceptus fidei, retro cessere repulsi,
Qui renouasse student motarum singula rerum.
In sensum Lybicus venit Ferrandus eundem.
Cæsar Vandalicum bellum meditatur, & vrget,
Pastorem inducit classi de more recepto
Omina felicis pugnæ, sortisq. precari.
Iam Belisarius soluens (quippe ille magister
Militiæ decretus erat) progressus Abydum
Occidit binos, quos repperit ebria vino
Corpora, læthali socium extinxisse sub ictu
Vt reliqui caueant, & damna inferre recusent.
A præda armatos vult abstinuisse rapaci,
Ne cuiquam iniuste noceant aliena petentes.
Sic strauit cursum facilem in Carthaginis vrbē,
Inde occurrentem bis fundi contigit hostem.
Prælia Vandalici renouant, vincuntur ijdem,
Aufugit Gilimer, sed iam confoderat ense
Ipsum Hildericum, & socios sub carcere pressos.
Iam Belisario reserant lata ostia ciues.

Sar

Sardinia Zanzon reuocatur, & vltima tentat,
Vltima tentantem facile oppressere sub armis,
Vt Belisarij possint vicisse phalanges,
Sic Lybico rursus Regno per bella potiti,
Felici rerum euentu, votisq. secundis,
Nudarant hostes sua propugnacula muris
Tãtum, vt præsidiũ Carthagine in vrbe videres,
Causa rebellandi quo ciuibus omnis abesset.
At Belisarius renouat sua mœnia genti,
Aphrica victorem terno vix mense morata est,
Ambitio reprobata fuit per publica Romæ
Iura, symoniacæ labis compressa libido est.
Dira fames Italos vexat, Romamq. parentem:
Contumeliosum penitus de sede Ioannes
Pastorem Gallum, Monachorum in claustra redegit,
Pro noxis cogens duros perferre reatus.
Iam Gilimer profugus Numidarum Regna subintrat,
Difficilis montem accessus petit: hic vbi Regem
Obsidet armorum ductor, tandemq. coactus
Defectu escarum, duraq. vrgente famis vi
Tradit se toto cum militiæ comitatu.
Ergo præsidio firmo per regna relicto,
In patriam abscedit cum præda, opibusque superbis,
Dux Belisarius, clarum de more triumphum
Ex victis referens, quæ Gensericus ab vrbe
Vespasianæo tulerat quæsita labore:
Hæc vrbi Solymæ Cæsar sacranda remisit.
Aulæ in vestibulo, quo conueuisse Senatus
Consueuit, populis iura opportuna ministrans,
Historiam clara, miraque retexuit arte,
Vt dudum extarent oculis repetenda sub ipsis

Gloria gestorum, & formæ celebrabilis actus,
Pictura effingens rerum monnimenta nouarum.
Captiuus Gilimer vicibus per dura nouatis
Conspicuo in solio cum cerneret alta tenentem
Ductorem Eoum, seseq. in sede moratum
Persimili quondam, rem contemplatus acerbam,
Et casu vario edoctus dixisse refertur:
Rerum humanarum vanissima gaudia sunto.
Sic miseræ sortes animis veracia monstrant,
Quæ læti cursus quasi per velamina cælant.
Dona sibi Gilimer non contemnenda recepit,
In Galatis vitæ reliquum quo degeret oris,
Si poteris meminisse vices, cursusq molestos,
Sublimes fastus, & corda superba rebelles.
Præfectus Lybici primus decernitur orbis:
Princeps interea pietati vt consulat, egit
Priuatim, publiceq. Deo per plurima grates,
Diuinæ Matri Carthagine templa dicauit,
Vt placiti templa illa forent monumēta fauoris
Scilicet ingrati vitium diuina bonorum,
Atq; sinus fontem exiccans occludit apertos.
Multi de Mauris Christi baptisma professi,
Certantes reliqui per prælia dura subacti.
Athalaricus obit, Theodorus sceptra capessit,
Amalafreda soror patris generauit eundem.
Is Theodoricus fuit, Amalasuntha necatur
Ipsius iussu, sibi quæ sua sceptra parasset.
Indignans Petrus Legatus Cæsaris actum,
Abscedit, rupto quasi fœdere bella minatus,
Rex pacem repetit cum coniuge Gudelina.
Iam Cæsar legum sanxit complura nouarum.
Sufficeris functo fatis Agapete Ioanni,
Cui Iustinianus fidei de more professæ
Decretum mittit per publica scripta libellum.

Lau-

Laudatur ſtudium, & pietas imitabilis actus.
Concilium in Lybia eſt habitũ, decernitur vno
Conſenſu patrum ſua iura repoſcere, & vſus,
Et ſua quæ fuerant quondam vſurpata bonorũ.
Plurima conceſſit Cæſar paſtoribus ijſdem,
Inde ad Romanum pro lapſo ſcribit Achille,
Ac ſocijs ne forte habito fraudentur honore,
Ac primis gradibus. canonum decreta tuetur
Paſtor, & indignos gradibus declarat habendos
Qui lapſi fuerint, ſi ſorte redire lubebit,
Eccleſiæ in gremium, ac pleno reſipiſcere ſenſu.
Inter paſtores Epiphanius auxit Achillem,
Mox obi; Auguſtæ renouata fauore recepit
Munera paſtoris nequam Anthymus, illa Seueri
Sectatorem alio aſciuit. Theodoſius idem
Extitit, Ægypti præſul, Gaianus aperte
Obſtitit, hæretico hæreticus: ſic praua ſequendo
Labitur in peius, quæ florentiſſima quondam
Pars fuit Eccleſiæ per dogmata, & acta fidelis.
Quiuis talis eris, ſi corde repellere Chriſtum
Incipies, rectum, ac legem aſpernatus honeſti.
Anthymus hæreticus coram ductore virorum
Mentitus fidei iuxta decreta probatæ
Edicit ſenſum falſo, ne forte retectus,
Quod minime vellet, gradibus trudatur ab altis
Pontificem hortaris Romæ ſtatuiſſe magiſtros,
Qui docte exponant fidei fundamina ſacræ,
Caſſiodore pater; ſed bella furentia cogunt
Dimiſiſſe pium ſtudium: perfecerit olim
Hæc vota, haud dubites, felicius alter in æuum.
Cæſar, quod Gothicis fuit Amalaſuntha necata
Fraudibus, accitis populis, quos forte liceret,
Ponderibus magnis argenti, auriq. profuſis
Italicis infert bellum, Regiq. locorum.

Dalmaticas Mundo Præfecto inuaserat oras.
Vrbs expugnatur, Patrij dixere Salonam.
At Belisarius Sicula de gente triumphat,
Sufficitur genti prætor, qui regna gubernet.
Iam Iustinianus rebus felicibus auctus
Vndique perpetuo Christi pro munere victor
Concipiens animo recti vestigia cursus,
Expurgare ipsum Imperium lenonibus audet,
Infandum prohibere nefas, meretricia soluit
Pectora munifico luxu; data copia rerum,
Iura sequuturis longe rutilantis honesti.
Cæsaris Orator Petrus cum Rege Gothorum
Arriano fuerat Theodato: accersit eundem
Rex pacem renouans, & iunctæ fœdera pacis.
Ergo ait attonito similis, terroribus actus,
Cæsareis animus Siculas mihi cedere terras,
Et dare perpetuo tria millia lecta virorum
Corpora, tercentum pariter diadema librarum
Ex auro quosuis pro munere mittere in annos,
Vt norit penitus sibi me substare paratum,
Argumenta metus, firmati, & pectoris actus
Degeneris nimium. quod si detrectet in isthæc
Vota venire, inquit, si rerum oblata mearum
Respuat, vt potius tractasse ferocia mecum
Bella velit, pro certo habeas, me regna daturũ,
Vt cedam mea iura sibi, quippe arma recuso,
Atq; odi penitus. Simili sermone fremebat
Regina, vt tabulis etiam subscribere missis
Hunc in sensum ausint, certi non fidere bellis,
Id iuramento sunt firmauisse reperti,
Permoti exemplo Lybici fortasse Tyranni.
Sic duplicis generis dant exemplaria Petro,
Vt iuret Petrus non tradere scripta secundo,
Ni sit conditio per verba repulsa priorum.
Pon-


Pontificem terret miniſtrans, pariterq. Senatū
Quo curent Itala diuertere ſede phalanges
Cæſaris immiſſas ſtudijs, quo miſceat arma:
Quippe alias inquit, ferro veſtra omnia perdā.
Ergo Agapetus abit facturus vota Tyranni,
Italiæ totis ne damna ſequantur in oris.
Accedit, ſed fruſtra animum reuocaſſe laborat,
In mage proficuos numen ſed dirigit vſus.
Anthymus hæreticus de ſede repellitur, vt qui
Eutychianæis hæſiſſe ſit agnitus actis.
Sufficitur Mennas fidei feruore probatus,
Tum patriarchales alij miſere libellos
Illius fidei, quam ſint per geſta profeſſi.
Tunc etiam Cæſar potuit quia forte notari
Ex cauſa expulſi, quod conſenſiſſet in ipſo,
Cogitur in fidei rurſus ſubſcribere ſenſus.
Sed fruſtra tentat fædus componere pacis,
Quippe in Dalmatia cum vincere cœperit, in ſpem
Erectus Theodatus erat, ne cederet hoſti.
Dicitur in Græcis Agapeti munere claudus
Conualuiſſe artus, & verba dediſſe loquutum
Qui prius optato linguæ ceſſaſſet ab actu.
Quæ ſacra Templorū turpauerat Anthymus vſu
Suppliceverborum forma de more recepto,
Expiat, vt labes, quæ ſit contracta, recedat.
Occiderat, Græci ſtatuunt de more piorum
Funus honorificū, tumulentur vt oſſa ſepulchris.
Anthymus eijcitur, ne ſint commercia ſecum
Iuſtorum, Synodi noua per decreta coactæ,
Id quia contempſit monitus reſipiſcere ſenſu.
Redditus optatur, quo ſit ſuccurrere eunti
In Solymæ terras populo coluiſſe parato.
Decreti cenſus, qui fænora certa miniſtrent,

Pau-

Paulus in Ægypto Patriarchæ munera captat,
Qui Monachis profugos socijs eiectus abiuit,
Constantinæam se defensurus in vrbem,
Sæpe Deo in melius curas vertente bonorum.
Deficiunt late Arriani Carthagine cœtus,
Oppida diripiunt, fines populantur, & agros.
Germanus frenasse parat dimissus in oras.
Accepta occiduas Agapeti morte per vrbes
Syluerium Theodotus amat succedere per vim,
Hormisda quōdam genitum, pro Rege sacrorū.
Assensum a clero tandem fuit: ergo receptum
Agnouere patres, & subscripsere petitis,
Indignum vt plane fuerit, nec forte ferendum,
Ne fluat in morem, penitusque incommoda surgant,
Indulsisse tamen, quo sic peiora repella,
Aut meliora sequi in rebus contingat agendis
Pro iustis, quorum nos cura acerrima mordet.
Sæpe tibi liceat, sæpe & laudabere sensu,
Si tamen inconcussa manent fundamina recti.



E C-



ECCLESIASTICARVM DESCRIPTIONVM LIBER VIGESIMVS.





Emina qui dæmon fraudũ, turpisq. reatus
Pectore in humano sub primo tempore iecit,
Inficiens massam, fermentatosq. relinquens
Arte sinus nostros praua atq; afflatibus atræ,
Pestis, & infandi sceleris, fæda omnia miscens,
Corruptósque parans renouando in germine mores,
Vt nunquam desint, quæ secernenda malorum
In causa nequam fuerint, & labe remota,
Succisoq. nefas, extirpatoq. maligno
Palmite suppositi, succrescentisq. cauendi
Perpetuo vitij, semper reparabilis adsit
Stirps innata mali, totis infusa medullis.
Hic, inquam, dæmon late opportuna locorum
Et personarum nexus, rerumq. nouarum,
Temporaq. & causas solerti mente recursans,
Rimatusq. animos peiora subire paratos
In prauis, si forte sibi spes addita sensus

Impu-

Impulit, atq; externa boni melioris adurget
Visa procul species, cœco quæ corde timorem
Mittat, & audacem in scelus, obiectosq. colores
Vtilis optati reddat, seu sensile corpus
Afficiat titillando, seu vallet aceruo
Vndiq. opum, atq; auri, seu spiritus inflet inanis
Ambitioq. leuis, fumosaq. pectoris aura:
Tunc idem Dæmon vafris certare laborans
Consilijs semper, seriem amplexatus iniquam
Actorum in causis, nectensq. nouissima primis,
Ac repetita sequens vestigia certa malorum,
Effectusq. hominum, quos decepisse fouendo
Instititit, inductos sua per fallacia in actus,
Commoda dum renouat, quorum est infixa sub imis
Pectoribus radix votorum, & cœca libido,
Spe sectatores, vt sint indebita rerum,
Quæ proponit alens; sæpe & progressibus vsus
Optatis, meliora iubens sperare futurum
In tempus semper, quasi deficientia nunquam
Sint bona, quæ miseris est concessurus iniquis.
Sic velut implicitos non euoluenda per actus
Contigerit subijsse tibi noua claustra domorũ,
Subdita circumagit frænanti pectora gyro,
Vt replicata sequi dudum vestigia mentis
Gaudeat, & nixu pariter deceptus eodem,
Hæreat æternum, libertatemq; perennem
Amisisse iuuet, cœcosq. recurrere flexus
Incipiat, veluti per docti iussa magistri
Experrectus equus ferula sibilante per auras,
Ni Deus è Cœlo miseratus iniqua malorum
Pectora, vt auertat totam illudentia mentem
Nubila, de superis lumen diffundat ab astris,
Ac misere errantem præsenti numine sistat.
Syl-

Syluerio assumpto Regis per vota petentis
Constantinæa Vigilus perstabat in vrbe,
Defuncti fatis Agapeti in munera quondam:
Is Comes extiterat, qui tunc subiecta nouarum
Tempora præuertens rerum, spe captus abunde,
Quod nimium cuperet, suprema sede potiri,
Vt sciret pastorem alium iam rite nouatum,
Augustam aggreditur dictis, affatus eandem:
O Augusta meis, quæ respondere cupitis
Sola potes, cui vota animi expleuisse rogantis
Æqua lubet, cernis quanam ratione sacrorum
Regem iterent Itali, quibus Arrianæa potestas
Præsit, vt interea clero sit adempta facultas,
Ac sua libertas, & successiua nouandi
Copia pastoris, pars vt terroribus acta
Assensum præstet, pars & per sordida rerum
Officia impulsa, indignum, sua vota sequatur,
Vidimus hoc vsu factum nos ante frequenti:
Et nunc Syluerius simili ratione putandus
In sedem euectus, qui non contrarius obstet:
Occidui patres non refragantur eidem
Quod peiora timent sibi viuere quique studentes.
Non deceat vestri Imperij vota esse minoris
Momenti, quam sint Theodati principis actus
Quippe ille insequitur Christum, & nos venimus ante
Exoraturi pro iustis dona salutis,
Vestros delati in portus scelerata ferentes
Iussa viri, vt merito, qui pacem auerterit æquã,
Ac veræ fidei sensus, de sorte repelli
Debeat, vt penitus supremi iure nouandi
Pontificis careat, libertatemq. reposcant
Tandem Orthodoxi, iam plures funera passi
No-

Nostrorum, vt scitis, cæcaue libidine pressi
Regum Arrianorũ istorum, iuga tollere mens est
Quæ ferimus, partesq. tui Theodora mariti,
Atq; tuas facimus non cedere iura nefandis,
Dedecori hoc etiam vobis reor esse vocatis
Augustis, summos qui contempsisse paratis
Christiadum Ecclesiæ fasces, ac regna sacrorum.
Nobilior curanda magis pars esse videtur,
Præcipuiq. gradus: isthæc si cura manebit,
Non late Imperij surgant incommoda vobis.
Vt sæpe, aut patres discant hæsisse rebelli
Amplius, vt quondam iuga per durissima pressi
In damnum Imperij, cuius pars altera Roma est,
Memet per Synodi Bonifacius acta probauit
Suffecisse sibi gradibus, quanquam irrita regis
Postea facta metu reprobi decreta fuissent.
Ergo agite, & rursus, qui vobis hæreat, esto
Eligite Imperij me primum in commoda vestri,
Ne quasi perpetuo contingat surgere nexu,
Qui foueant aliena magis contraria vobis.
Romani pariter vestra hæc tam clara potestas
Dicitur Imperij, num nomina vana ferantur?
Et nullos habeant vsus quasi præmia rerum?
Ipse ego me facile patiar subscribere votis
Si qua gerenda forent, fuerint quæ commoda vestris:
Indignum reputem Romana subesse Gothorum
Discutienda iugo: si vobis Africa grates
Nunc agit Arriano tandem liberrima morsu,
Vandalicaq. manu, cur non & Roma laborum
Vestrorum fructus, & commoda senserit æque
Libera seruitio Ducum suppressa Gothorum,
Et vero indigne, quæ sunt Arriana fouentum?
Iã velut abscissa est reprobo sua dextera mõstro
Vestra

Vestra opera, Italici populi sua gaudia possint,
Et meritas sensisse vices: truncanda videtur
Altera pars monstri, Gothici de sede recedant
Intrusi Hesperia, Romæq. instare parenti
Desierint penitus vestra virtute repulsi,
Et sudore meo, si sic placuisse videtur,
Præmia vestra canat, donisq. fruatur opimis.
Nam si contigerit Synodi per vota probatæ
Me quondam electum, at Gothico terrore repulsum,
Quod vestris rebus fauturus forte ferebar,
Rursus in eximiam tolli quasi muneris arcem,
Vestra ope subnixum, vestroq. fauore receptum
Omnia perficiam, per quæ mea cura probetur,
Vt Gothicis obstem refragaturus iniquis,
Ac faueam pariter vestris impensius actis.
Si mihi contigerit, dum bella nouantur in vrbe
Quæ bene molitur Cæsar, quò dissipet hostem,
Syluerium Arriano electum præcedere sensu.
Nescio, num possint tutissima vestra putari,
Vt pote consilij quæ sint habitura rebellem
Participem, Arrianos qui prodere nesciat hostes,
Vt grates referat: quocirca arcendus ab vrbe est,
Quo sua rumpantur Theodato vincula nexus,
Securosq. dies degant, qui vestra tuentur.
Talia disseruit memorans, tandemq. resistit,
Sollicitus, quid verba ferant, dubiusq. volutat
Sortes corde suas, quarum ratione mouetur
Gliscere, pastoris summi sibi munera poscens.
Illa refert audax, quid enim non fœmina verset
Aut speret se posse animo stimulata furenti?
Dum pariter facile contra Theodora rependit,
Optatis se sorte suis, sic posse potiri,

Ro-

Romanus pastor dum non contrarius obstat,
Aut dum forte putat meritis vincire legendum,
Et quasi piscem hamo placitis captare sub escis:
Te Vigili optarim suprema tenere sacrorum,
Et fauisse velim pro viribus, vt tua per me
Impleri valeat iuxta sua vota voluntas,
Si tamen auscultasse paras, certiq. referri
Gratia contingat merito repetita fauoris,
Tu per me capias, quæ te cupijsse recenses,
Ac deceat memorem te, postquam cæperis esse,
Vt de perceptis liceat sensisse fouenti
Gaudia, cedenti quæ parua incõmoda portent,
Ergo votorum fuerit tibi summa meorum,
Oppositos actus Synodi reuocare recentis.
Anthymus à nexu quo se sciat esse solutum
Pondera bis centum thesauris aurea nostris,
Addideris, quo certa mei sint præmia facti.
Sponde ergo, ac iusa seruare fidelia mecum,
Vt Belisarium super hoc monuisse laborem,
Ille docendus erit, qui summa negotia tractet.
Annuit accepta per iuramenta petitæ
Conditione rei Vigilus: iam præripit actu
Complectens animo rerum ambitiosa suarum,
Attulerat remeans mandata vrgentia secum,
Quæ Belisarium impellant, curasse notatos
In patribus tentasse gradus, & fallere gentem.
Tunc Belisarius dura obsidione premebat
Parthenopem, ac nimio tandem sudore subegit,
Dedita passa fuit cædes miseranda nefandas.
Syluerio arguitur, qui sic patrasse repertus.
Ecce autem Vigilus mandata nouissima secum
Detulit, Augustæ insidiæ potuere scelestæ
Contra Syluerium, ac de proditione notatum
Pontificem insimulant ac si tentauerit vrbem
Tra-

Tradere subscribens tabulis, quæ perfida dictét,
Truditur Eoas pastor Romanus in oras,
Accessit Pataram: causa commotus iniqua
Qui Pataræ præerat, commendaturus eundem,
Iustinianum adijt; falsissima cuncta recensens
Quæ de Syluerij tabulis conficta fuissent.
Principis edicto quia namq. innoxius esset,
Syluerius repetisse potest felicius vrbem,
Quãquam Augusta viri reditus auertere tentat:
Sed verò Vigilus misero contrarius obstat,
Vt cursus reuocet, reducemq. repellat ab Vrbe,
Quippe, ait, Augustæ scribens, tibi pondera desint
Argenti, atque auri quondam promissa meorum,
Prodita quæ fuerat, videat si Roma, rebellem.
Traditus est igitur Vigilo sua damna roganti,
Insula parua fuit, Palmaria dicta sub oris
Hesperiæ, hic tandem Eois de finibus hæsit;
Ne Romam repetat, iussisq. coactus apertis,
Augustæ, ac Vigili concepta fraude nefandi,
Véditus, vt fuerit precijs quasi Christus iniquis.
Dixerit hic aliquis, nulla ratione reguntur
Tempora, confusa prorsus compagine rerum,
Prauus vt insultet iusto, totoque fruatur
Orbe scelus, plantis & conculcetur iniquis,
Qui sapit, & rectus fortasse videbitur actu,
Impia qui miscet, seu qui terrena reposcit.
Quid stulto turbat te cœca proteruia sensu?
Et quereris nostros non recta incedere cursus,
Vt reprobi præsint, iustis substare coactis?
In medio positos Deus exercere laborat,
Infandos sua damna manent sua præmia iustos.
Syluerius Vigilum per dira minatus eidem
Scripta repercutiẽs quasi putrida mẽbra recidit.
Con-

Consensere viro, qui conuenisse reperti
E patribus quatuor, Terracinensis in oram,
Fundanus, Minturnensis, Firmanus eandem.
Triginta argenti libras sibi misit Amator
Quidam de patribus, miseri quo rebus egenis
Consuleret, fulcire studens indigna malorum.
Binas hic brumas, binos & vixerat æstus,
Inde abit in superos mens felicissima portus.
Accurrere illuc plures languoribus acti,
Quos concepta fides hominis sanauit abunde.
At Belisarius, qui visus criminis huius
Esse reus, struxit scelus execratus in vrbe,
Propterea templum, pœnasq. subiuit acerbas.
Iam Theodatus erat Vitige vrgente necatus
Sublecto turmis Gothicis, qui postea cessit
Romæ vim metuens, sic vt sub clara Rauennæ
Oppida confugeret se defensurus ab hoste,
Leudeten, secumq. manum dimisit in Vrbe
Selectorũ hominum quasi millia quattuor, vt se
Obijcerent hosti, si forte opus esse viderent,
Præsidiumq. forent Vrbi. sed postea captos
Roma expugnata, is Græcas abduxit in oras.
Tum Iustinianum pacem tentasse repertus
Vitiges fuit: at quoniam res irrita cessit,
Obsedisse parat collecto milite Romam
Quinquaginta hominum supra, sed millia centũ
Vitiges varijs secum deduxit ab oris,
Tum parte ex alia rumpit sua fœdera Cosrhoes
Vitige impellente hominem, quo tutior esset.
Interea Gothici luctus miscere parantes,
Mediolanensem delerunt funditus Vrbem,
Aedibus excisis, ac tota gente necata.
Fœmina mota loco Burgundis tradita, quòd se
Præsidijs iuuere suis secum arma ferentes.
Mun-

Mundila fœdifragus fuerat Dux ille Gothorũ,
Quo clades illata fuit sæuissima genti,
Sæpius hi pariter Regna Europæa iugati,
Captiuos secum,& gazam abduxere repertam.
Regia Gaza omnis fuit asportata Gothorum,
In sedem Imperij primam, sobolesq. Tyranni,
Præfecti pariter quatuor,procerumq. senatus,
Materies magni non contemnenda triumphi.
Sed non propterea potuit duxisse triumphos
Id, quoniam inuidiæ stimulis correpta suorum
Pectora virtutem latè turbasse reperta.
Dum Gothici Roma fugerent,de sede Tuderti
Infantes rapuere duos: Fortunius offert
Argentum, vt redimat: non concessere petitos,
Germen iniquorum,qui præclarissimus horum
Esse videbatur. non multo postea miti
Lapsus equo, fœmur confractum passus,in ædes
Hospitij redijt, reddit repetita duorum
Corporã,præsidium implorat pastorisq́, & vnda
Sacramentali abstersus, sua membra recepit
Firma, vt iter peragat, magni fecisse parentis
Vota,precesq. pij proprio discrimine doctus.
Tunc etiam dederas Bonifaci vasa duobus
Plena mero, multis quæ suffecere diebus,
Parua licet fuerint, vt nasci ibi dicere posses.
Paulus in Aegypto Patriarcha repellitur,vt qui
Tanquam homicida loco,reus est,dãnatus eodẽ,
Sufficitur Zoilus: tunc ethnica fęmina diues
Cuidam innectenti laqueo ob contracta petentũ,
Nomina reddituũ fructus, sua colla,miserta est,
Ne desperaret, donans bona cuncta suorum:
Mox eadem impellente fame meretricia gessit,
Ergo cum stratis tandem moribunda iaceret,
Contempta, & sacri cuperet baptismatis vndas,

Qui-

Quidam ex alitibus procurauere salutem ;
Vt sibi contigerit largè sua dona referri.
Obsidio Romam tenuit, durauerat anno,
Obsessam potuit vexasse penuria victus.
Bina fuit mulier, quos excepere virorum
Hospitio, plures obtruncauisse repertę,
Quo magnæ fortasse aliqua ratione liceret
Occurrisse fami, tamen experrectus easdem
Vltimus occidit casu perterritus acri.
Italiam cum bina fames peruaderet omnem,
Pastu natorum non abstinuere parentes
In sua surgentes crudeli viscera morsu;
Defecere escæ Benedicto, murmura iactant
Infidi Monachi, iussi sperare timentes:
Ergo præ foribus modios reperere farinæ,
Ex insperato bis centum, vt fidere discant.
Membratim cæsus Gothicis reparatus obiuit,
Id quia Romanis ipsum fauisse referrent.
Cum Dacius pastor fugeret, venisse Corinthum
Dicitur, hospitij quas forte intrauerat ædes
Diræ infestabant mentes, quæ deinde fideli
Eiusdem cessere opera, votisq. repulsæ.
Sylucrio extincto, cuius gessisset in Vrbe
Forte vices Vigilus, quoniam Græca agmina gentis
Pectora Syluerij sibimet non fida putassent,
Propterea Gothicis, quod lectus sortibus esset,
Concurrére patres Regem renouare sacrorum:
Eoi Vigilum repetunt multo ante probatum,
Quod Belisarij mandata nouissima versant:
Hunc Arrianæo reprobatum forte lapillo,
Atque orthodoxo referunt à principe lectum,
Vere orthodoxum, atque odio grauiore prementem,

Ar-

Arrianas labes, & discussisse paratum,
Quæ iuga ceruici fuerant iniecta latinæ,
Rumpendos aditus vitij, persæpe nouorum,
Pessima, si norint, quæ quondam cepta fuerunt,
Laudari motus, quamuis discrimina portent,
Indignum Arrianos capiti intentasse secures;
Indignum Ecclesiæ dudum insultare piorum,
Et libertatem quammulto sanguine partam,
Nunc velut immeritam sanctorũ è sorte repelli,
Debeat vt iustus dicto parere malorem
Ac nutus implesse suos, quasi compede vinctum
Huic Iustinianum late fouisse recensent,
Qui Clauum Ecclesiæ alterno quasi munere tractet,
Orthodoxorum fautor, prauosq. perosus
Ergo permoti tandem rationibus æquis
Concurrere vnumin sensum, vigilemq. salutãt
Sacrorum Regem, ac fidei de more professæ
Iuramenta petunt, & confouisse laborant,
Quod sperasse sibi liceat meliora bonorum,
Vltima respectu rerum in ventura notato.
Concilium Aureliæ Francorum habuere frequentes,
Iudæi vetiti se permiscere fideli
Ecclesiæ populo sub tempus paschatis, vt ne
Seu velut insultent, siue irridere frequentent,
Dum late humanæ versat monumenta salutis
In luctu pria turba memor, tristesq. reatus,
Quos tulit innoxæ quondam medicamina Christus
Cauerat Albinus diuus commercia nequam
Connubio fæde iuncti, ac de sorte recisi
Sanctorum, vt iusti scelerata exempla cauerent,
Eulogias misisse patres hortantur, vt idem

A lapſu mærens viſus, communicet actu,
Ac velut in ſortem primi reuocetur honoris,
Miſerat Eulogias indignabundus eidem,
Propterea pariter permulta aduerſa minatns,
Immeritum quoniam reputaſſet iniqua gerentē,
Nondum delatæ fuerant in limina miſſæ,
Occidit impurus, cuius cæſura manebat,
Vt fauor indignus fuerit bbi cauſa dolorum,
Extremos voto diui accelerante reatus.
His iniurioſus paſtor ſecum adfuit actis,
Clotherius petijt ſacri ſibi tertia fructus,
Eccleſijs rapiens, quo fiſci nomina diſtet,
Ille abit è Synodo feruenti percitus ira,
Atq; ait, Eccleſias tua Rex nudaſſe voluntas,
Quas aluiſſe decet, tum Rex commotus eundē
De curſu retrahit, damnat, quæ facta fuiſſent,
Paſtori ſua dona offert, pacemq; precatur,
Libertate animi victus, qui vinceret auro,
Ex Theodebertus, Childebertuſq; propinqui
Clotharium in Regem armata cum gente mouentur,
Chrotildes mater ſatagit, ne non pia ſecum
Bella ineant fratres, ac tota nocte precatur
Diui Martini in templo, cœleſtia poſcens
Auxilia, vt moto penitus deſiſtere bello
Contingat fratres, & pax repetita ſequatur,
Iam collaturos ſecum ſua ſigna videres
Cum ſubito exorta pro tempeſtate reſiſtunt
Territa corda, manuſq. acres, ac prælia ponūt,
Sic metus extorſit, ratioq. incerta peregit,
Quod virtus, pietaſq. prius conata nequiuit,
Nequitia ſecum contra certante malorum
Rex Theodebertus ſtudio permotus inani,
Quod Iuſtinianus titulos, & nomina franci

Vsurpasse velit, quasi debellasset eundem,
Italiam duro versat peruadere bello,
Picenum attigerat, subito cum Regia cepit
Agmina dira lues, quo circa in patria rursus
Regna redit, trepido rerum terrore repulsus
Re prorsum infecta, non vt sua vota ferebant,
Sic fortunatos par est optasse sequendo,
Et fortunatos si non Deus ipse labores
Faxit, in immensos refluet tua gloria luctus.
Cosrohes Persarum rupto iam fœdere terras
Imperij inuadens Syriæ vastauerat vrbes,
Antiochena etiam sunt oppida tradita flammis,
Bina fuit mulier clarissima stirpe parentum,
Vtraq. præcipitem sese demittit in vndas,
Quo se de manibus raperent, votisq. sequentum
Dedecus effugiens, quod cœca libido minatur,
Heu miseras hominum sortes, heu flenda nocentum
Prædecessorum studia in peccata fluentum,
Quid facimus, res nostra agitur, de fœmore nostro,
Surgent, qui misere pereant, scelerata trahentes
Germina, corruptæ stirpis, pœnæq. reatus
Vt iuste pereant, & radix prima malorum
Nos illis erimus, dum prauo semina succo
Inficimus, trahimusq. Deum in pœnalia versum
Vt noceat nobis, ac destruxisse laboret,
Quæ totis cupide votis constructa velimus,
Ergo leues animos, curasq. agitamus inanes,
Tunc Iustinianus nummorum millia in annos
Quinquaginta hosti pepigit, sic reddita pax est,
Sacratæ fragmenta Crucis seruasse feruntur
Christiadæ Apameæ, Thomam, qui forte præesset

Pastorem rogitant, Persæ obiecisse furenti,
Quo colere incipiat, nec se vexasse laboret,
Circumfert pastor iuxta pia vota per vrbem,
Splendores nimij sacra hæc vexilla sequuntur,
Ergo sibi pariunt iuxta sua vota salutem,
Quippe immutatus Cosrhoes non obfuit vrbi.
Cosrhoes in circo sedit certamen equorum
Inspicere, inuitat Thomam, non ille recusat,
Iure sacro vetitus licet, vt misisse rigorem
Interdum possis, quo sic peiora fugentur,
Huic percontanti, num se passurus in vrbe
Quam pastor Thomas desumpserat ante regendã
Æquo animo foret, haud ficto sermone profatus
Abnuit, vt veritus late sit postea Cosrhoes,
Libertatem animi tantam, mentemq. fidelem,
Assentatoris labem euitasse paratam.
Pugnam infelicem in Lybia subijsse reperti
Cæsarei, Mauros ibi suppressisse studentes,
Quidam Christiadum celerem vibrasse sagittam
Senserat in sese Maurum, conterritus idem
Se Monachum per gesta vouet secessibus vsum
Barbarus insultans euanuit illico terris,
Hic supero gratus reddit sua vota parenti,
In Bizacenis Lybiæ Synodalia surgunt,
Per Iustinianum leges, ac iura nouantur,
Vtq. illegitime, statuit tamen altera Romæ
Munera firma nouæ diuina docere sacrorum.
Vt velut interpres populis rerum ardua dictet,
Hospitium instaurare parat. cui nomina Sanson
Collapsum, ambustumque prius, renouata resurgunt
Firmamenta ædis late vsibus apta piorum.
Auximitarum Rex Adadus ardua Regi
Damiano Hebræo bella illaturus aperte
Chri-

Christiadum baptisma vouet, si vicerit hostem,
Vicit, vt optarat, fidei baptisma recepit,
Numine Synceri cordis pia vota fouente.
Piratarum opera Placidus, socijq. fideles
Trinacriæ in Regno felicia funera passi,
Aruernis Patres Synodos habuere nouatas
Hic vbi iura pijs animis stabilita feruntur,
Iura Symoniacos late frænantia sensus,
Gallus erat pastor, qui sacra volumina flammis
Obijciens rapidis furibunda incendia fregit,
Iam Desiderius post multa infanda malorum
In patrias remeans sedes, petit aurea Regem
Pondera, quæ miseros per iuncta negocia ciues
Pauperiemq. sui populi, sortemq. repellant,
Auctæ diuitiæ magno cum fænore gentis
Mutua dum retulit, quæ mutua redderet idem,
Rex Theodebertus, fuerant ea nomina Regis
Pondera quæ retulit, retro donata remisit,
Vt dicat sua lucra satis iuuisse colonos
Aurea quæ dederat, fuerant quasi millia septem
Tempora nunc eadem haud possunt censenda videri
Mutua si dederint, cupiunt quoq; fænora dătes,
Siue nihil dederăt, & carpere nostra frequĕtăt,
Iam Theodebaldo defuncto Rege diebus,
In Regnum evehitur Totilas, bis contulit arma
Bis pariter vicit superans hostilia gentis,
Cæsareamq. manum, Campana sede potitur,
Dedita Parthenope Totilæ tunc oppida Regi,
Appulus, & Calaber, Lucanus, Brutius aucti
Imperio Totilæ, tua prodita mœnia Tiburs
Damna ferunt, obsessa prius, ciuesq. perempti
Is Beneuentanæ muros quoq; diruit vrbis
Antiochenam vrbem Cæsar renouasse laborat

Extructis inibi templis, vtq; hospite tecto
Pauperibus, magno quæ sumptu aggesta steterunt,
Childebertus erat. Francus, ducto agmine secũ,
Ac Diuo Eusichio consulto victor in vrbem
Vsq; Augustanam peruadit, vt inclyta Templi
Tecta sacri voueat, si vicerit arduus hostes,
Si victor patriam repetat, quod postea cessit,
Tunc tua Vincenti circum sua mænia martyr
Delata est vestis magna cum laude piorum,
Quæ quasi terrorem incuteret, concessa petenti est,
Obsidione vrbem soluit, tibi templa dicantur,
Tanta potest pietas sensu concepta fideli.
Cassius infuso vultu per rubra colorum.
Ebrius est visus Totilæ maculosa notanti,
Contemptusq. fuit vina epotasse putatus
Is pastor Narnensis erat, tunc assecla Regis
Dæmone vexari cæpit, perducitur idem
Dictum ad Narnensem, qui coram Rege fugauit
Dæmona dissoluens per signa salubria nexus,
Despectum quondam rege admirante vicissim,
Per Totilam contemptus erat Fulgentius vrbis
Vtriculæ pastor, Gothicis qui traditus hesit
In medio positus, rapidi tum solis ab æstu
Vexatus magna subito surgente sub axe
Æthereo pluuia penitus recreatur, vt ijdem
Custodes trepidi aufugiant, fugientibus vndis
Diui à se de procul, sic vt sua membra maderét
Omninò nihil, vt premeret vestigia succo,
Cognita res meritò in diui pertraxit honorem
Regem aspernantem, & contraria corda tuenté,
Ecce Gothi quendam Benedictũ sede sub arcta,
Incendisse student Monachum, flammasq. ministrant.
Vesa-

Vesanis circa studijs, mirum, hæsitat ignis,
Ne Christi famulo noceat, ponitq. furorem,
Illi indignati corda insensata gerentes
Arreptum in furnos flagranti ardore voraces,
Iniecere virum, sed flamma oblita ferocem
Naturam læsisse cauet, quem pura tuetur
Vita, fidesq. animi non conscia cedere duris,
Ergo locos Gothici versi ad miracula linquunt,
Passus erat Gothico iniuste sibi milite raptum
Libertinus equum, sed dum procedere raptor
Versat, Vulturni cum deuenisset ad vndas
Præterijsse nequit quamuis calcaribus vsus
Ergo redit, redditq. viro sua damna remouit,
Æquis late animis, qui mox sua damna ferenti
Vt reliqui possent flumen tranare petitum,
Galla fuit Totilæ Dux peruersissimus idem,
Torquebat quendam, sua quo sibi proderet actu,
Is, quo se manibus quauis ratione scelestis
Eriperet, Diuo Benedicto plurima rerum
Iam dudum exponit se commendasse suarum,
Galla ferox hominem vinctum pertraxerat illuc
Dumq. minis diuum exagitat, resoluta coloni
Vincla cadunt. Galla ipse rei miracula tantæ
Suspiciens, stupido similis dimittit eundem,
Quem virtus tam clara viri tutarier instat,
Audierat Totilas rerum portenta nouarum
Illusisse agitat diuo, compellit in ædes
Eiusdem, e Ducibus quendã indumenta ferentẽ:
Regia, & assectis circum comitantibus auctum,
Non secus ac Totilas cultu de more soleret,
Publica dum gereret rerum, incessisse superbo,
Vix apparuerat Diui Rex fictus in ædes,
Exclamat diuus, depone aliena bonorum,
Non tua, quam gestas regali purpura luxu,

Nec tuus iste Comes, qui te circumstat euntem
Nunc Domino seruit, cuius tu corpora fingis
Attoniti cessere retro fallacibus vsi,
Tum Totilas leuibus missis inuisit eundem,
Ex quo sortem audit rerum per verba futuram,
Inde redargutus duro sermone recessit,
Cosrhoes Persarum rursus sua fœdera rumpit,
Arma mouet contra Dux Belisarius, at non
Quod cuperet, sensit, successus passus inanes,
Romanam Totilas inuadere cogitat vrbem,
At Belisarium vigilus repetisse laborat,
Suspecti Arriani longe pelluntur, vt absit
Proditio patrijs infelicissima terris,
Carmen Apostolicis de gestis scripsit arator,
Quod recitasse potest coram doctoribus vrbis,
Inuadit Cosrhoes, quæ Sergia dicitur, vrbem,
Mœnibus armati visi, subsistere, qui se
Arreptos trepido retro terrore repellunt,
Dicitur hic idem postremo tempore sordes,
Expurgasse animi, sacri baptismatis vndis
Dira lues dudum terras vexasse reperta est,
Ægypti e Regno totum grassata per orbem
Iam Belisarius tutari cœperat vrbem,
Armatum inducens cætum, fidasq. phalanges,
Obtulit hic idem cum gemmifero ornatu
Aurea signa Crucis libras portantia centum,
Hic vbi descripsit rerum præclara suarum,
Bina ex argento pariter cerostrata puro
Circumtexta auro fabrefacta ingentia misit,
Pluraq. non modici precij argumenta fidelis
Dona animi, ac placiti monumentum, & pignus
amoris.
Exemplar Christi vultus seruatur edessæ
Abagaro Regi missum, qui forte colendum
Ex

Ex visu impense cuperet cognoscere Christum,
Hanc vrbem Cosrhoes expugnauisse laborat,
Quod frustra audierat quondam tentasse frequentes,
Aggreditur muros, quæ machina lignea structa est,
Vndanti ciues hanc aspersere liquore
Quo madefacta prius Christi simulachra fuissent,
Concepit mirum, ardentes ea machina flammas
Ad tactum humoris dicti concepta fauilla
In cineres redigit congestæ corpora molis,
Sic insperato Cosrhoes ex vrbe recessit,
Christe pater facili, tua dona, labore repulsus.
Paschatis edictum celebrandi Cæsar Eois
Edidit, Eoi tunc errauisse reperti,
Clades à pluuia, ac mota tellure deorsum
Constantinæam facta est non parua per vrbem
Defectusq. ingens escarum in rebus emendis,
Paschatis Aureliæ decretum tempus, & vna
Decretus Quadragesimæ quasi terminus almæ,
Victor erat Capuæ pastor præclarior vrbis
Qui Victorini Cyclum reprobasse studebat,
Augustæ neptis fuit, Ardobindus eidem
Coniux, hic Lybicis cum bella agitaret in oris
Gontheridis verbo iurato, ac fraude Tyranni,
Deceptus perijt, qui Gontharis Arthabano
Mox pœnas soluit, cui forte parauerat escas,
Vt sceleris, quod causa fuit, sit causa dolorum,
Dedita Spoleti Totilæ sunt mœnia, & arces
Tum Gothici Perusina dolo cepere domorum,
Pastorem Herculeum qui percussere securi,
Haud mutati artus fuerant à mense reperti,
Iunctaq. ceruici sunt busta reperta recisæ,

Captus Cerbonus Populona pastor in vrbe,
Vrsorum obijcitur Totila mandante furori,
Effecti mites Vrsi crudelia ponunt
Pectora, crudelem Totilam mansueta docentes,
Sclauini illyricas intrant felicius oras
Quattuor Hispana geniti de matre fuerunt
Coniuncti fratres, qui pastoralibus aucti
Versauere gradus, nemo de quattuor olim
Optima non liquit nobis monumenta librorum
Mediolanensis Laurianus Presbiter vrbis
Incusat Totilam duris sermonibus vsus,
Tollat vt è medio Totilas perquirit eundem,
Is fugit Hispanam in terram, prodendus in vrbẽ
Ad vigilum remeat, mox oppida Gallica gẽtis
Visit, at in cursu ferro truncatur ab hoste
Exploratorum studio interceptus iniquo,
Mediolanensi delatus profuit vrbi
Vt pestem auertat, quæ communissima terris,
Auertit diramq. famem, atq. incommoda rerum
Secum instante Deo placitis concurrere miris,
Occiderat Theudus Cæsus, Theogisclus habenas
Hispani accepit Regni, conuiuia vt inter
Vix vno elapso confossus obiuerit anno,
Fons erat Hispanis diuinitus vnda quotannis
Ad pestem arcendam, & sacri baptismatis vsum
Surgere visa intus certa sub luce dierum,
Hanc ergo extantem quidam impius assecla Regis
Immissis deturpat equis, data pœna reatus
Se morsu infelix lacerat de more furentis
Sic mortẽ oppetijt, clausis Theogisclus in æde
Explorare seris vacuis perstantibus vrnis.
Mox circum iniecta fossa imprudentius ausus
Ergo

Ergo vim diam reperit, sub tempore certo
De terra in labrum late excrescentibus vndis,
Pastor erat Solymæ Macharius, inde repulsus
Sic velut hæreticus cessit mox dogmata damnās
Falsa gradus repetit felici sorte priores,
Quinquaginta annis clausam Arsanuphius ædem
Incolit in Gazæ Regno, nec visus ab vllo,
Nec victus escam assumens, mirabile dictu,
Eustochius Solyma qui sit suffectus in vrbe
Exploraturus rem totam accesserat illuc,
Ergo fere flammis casula erumpentibus arsit,
Mirogenes late hydropisi dum forte laborat
Eustochium dictum rerum opportuna ferentem
Reppulit, optarim mentis per vota salutem,
Inquit, & æterni solui cruciatibus ignis,
Quidam Emesiæ Simeon sic famæ liber inanis
A votis fuit, vt cuperet quasi stultus haberi,
Ergo, & perpetuo traxit cognomina stulti,
Augustam hæreticam pertæsus percutit acri
Censura vigilus personæ munere fungens,
Quam gerit, antiquis de pectore sordibus actis,
Inde Augusta cadit duro suppressa reatu,
In deplotatæ currens discrimina sortis
Cappadocem sibi suspectum de sede Ioannem
Deiecit Cæsar, tamen vt ditissimus esset,
Inde ablegatus, quia pastor Cyzicus, à quo
Dissensu quondam fuerat certasse repertus,
Occubuit cæsus, pro suspicione perempti
Iam Reus Authores cædis detexit iniquos
Hinc quoniam direpta sibi bona tradita fisco
Sensit in extremæ sortis delabitur æstus,
Vt stipis optatæ cogitet sub compede nummos,
Nec tamen vt late pressus dimisit habendi,
Imperij votum phrenesi delusus inani,

 A pue-

A pueris pereat, qui sic periturus in æuum est,
Sancte Deus, pasciq. diu, vitalibus auris
Negligat, vt casus late deuitet acerbos,
Iam Belisarius patrias inglorius oras
Re prorsum infecta repetit per vota iugalis
Finibus Italiæ reuocatus in oppida gentis
Longobardi istrum linquunt inuadere certi,
Finitimos, vt bella gerant populantia terras,
Occupat occiduos penitus gens barbara tractus,
Iam coniuratis conspirauere virorum
Complures animis, quorũ arthabarus habentur,
Arsaciusq. Duces Iustinianeæ perosi,
Conatus tandem detectus in irrita cessit,
Quam sæpe oderunt, qui te coluisse videntur
Et quam fallaci coluerunt pectore, qui te
Præcellisse vident, ac dilexisse putantur
Sors noua, si casus dederit, reserabit iniquos,
Vt certent odijs, ac depressisse laborent,
Prodita Roma Gothos recipit, cæsa agmina late,
Vrbis Romanæ, Totilas ea mænia, & arces
Destruxisse parat, totamq. auertere gentem,
Sed Childeberti, cuius connubia natæ
Enixæ peteret, repressus vocibus hæsit,
Quippe, ait, Imperij caput extirpasse laboras
Hostibus vt sortem reparandi mænia linquas
Ac sedes habitent, quarum te munere nudas
Ergo alio missos reuocat per plurima ciues
Ac renouat late, quas bellicus impetus ædes,
Disiecit prius extructi stant culmine muri
Agmina, Liberius traxit contraria secum,
Postea Germanus: sed mors inopina repressit
Conatus, classis sub litore naufraga ponti
Hæsit, Sclauini sedes inuadere tentant
Im-

Imperij primas, vix armis inde repulsi.
Tempora Iornandes quæ præterlapsa notauit,
Cæsareæ Theodorus erat pro tempore pastor
Commouit gentes, tria quo contingeret olim
Damnari capita, è sacris radenda libellis,
Nam Theodoreti quæ consona Mopsuestenis,
Atq; ibæ fuerant merito reprobanda videri
Censuit, vt pariter fuerit damnabilis author
Inuentus contra sensisse pelagius, vt non
Damnari vellet, qui res conscripsit easdem
Quippe ait in sensus se demisisse fidelis
Ecclesiæ posuit, quanquam damnabile scripsit,
Is Legatus erat Romanæ sedis Eois
In Regnis, Stephanus qui succellisset ibidem
Non diuersa fremit, quo circa Cæsar in vrbes
Euocat Imperij vigilum, vt decernere causas
Tutius expositas posset, cedente Senatu
Iustorum in sedes vnas ex more recepto,
Eoos repetit vigilus, concurritur vrbem
In primam Imperij de totis vndique terris,
Absuerant Itali plures, quia dissita longe
Oppida præpediunt cursus tentasse remotos,
Non exorari potuit, quo finibus omnes
Sistantur medijs æque omnibus opportunis,
Ex Iustiniani placito processus initur,
Collecti patres vigilum accersere petitum
Bisseni è latio solum accessisse reperti,
Prætendunt curam Ecclesiæ, ac surgentia rerum
Scandala discussis causis remouerè nouarum.
Iam vigilus quoniam præsenserat esse rebelles
Mennam, & Cæsareæ Theodorum aduersa tuentes,
Vt Iustiniano faueant obstare parato,
Censuram intorquens extra commercia fecit,
De-

Despectus tamen inde fuit pergentibus ijsdem,
Quas prius optassent late præsumere causas,
Quin etiam Zoilum Theodorus munere pellit,
Quod renuat damnasse trium capita illa virorũ;
Mens Vigili fuerat per certa silentia motos
Quæ de personis agerent, sedare tumultus,
Suspendens, quasi certam animi depromere vocẽ
Hi contra quoniam offendi per scripta viderent
Complures, etiam authores reprobasse volebãt
In præiudicium Synodi fortasse futuræ,
Propterea à Vigilo sunt dissensisse reperti,
Assumpti è latro Socij qui forte fuissent,
Id quasi damnaret Synodum Chalcedone factam,
Quod tamen à veris aberat, monuere remotos
Europæ populos, responsa fidelia misit
His monitus Vigilus, ne sit sua pectora falli,
Siue data hoc opera factum, quo talibus ijdem
Mentem explorarent patrum, aut quia forte viderent
Præripiendum animi sensum, & firmanda piorũ
Pectora, ne falsis intercurrentibus actis
Postea rescindi gentes contingat easdem
Iustiniani opera quasi pro pietate cauentis
Suspensum est publice edictum, quo trina repelli
Contigit interea capita, vt præcurreret acta
Legitimæ Synodi, quia sic vrgere videtur
Princeps commotæ quasi seditionis, & author,
Obstat proposito Vigilus temeraria vitans,
Quem misso satagit frænare satellite Cæsar,
Sacrarum Vigilus tenuit propiora domorum,
Mox quidam è Græcis indigno protinus ausu
Vultum Pontificis Colaphis percussit acerbis,
Atq; ait, infandus cùm sis, homicidaq. nobis
Vis leges posuisse nouas, ac recta monere,

Chri-

Chriſtiadum populum, qui te præceſſerit actu,
Doctrinæ vero, ac ſenſu pietatis honeſto,
Tunc Vigilus cernens de vi ſibi poſſe timeri
Trans mare ſeceſſit propter Chalcedonis vrbē,
Hic vbi decretum format, quod poſtea miſit
In Synodum accitus, ne, ſi fortaſſis adeſſet
Latam præberet ſe contemnentibus anſam
Irridendi acta, & ſenſu prolata decenti
Verba licet, pleno carpi contingeret ore.
Sed vero, mirum, ſupplex Theodorus eidem
Obtulit, & Mennas, quæ pagina continet æquos
Sermones fidei, & corda execrantia noxas
Contractiuè probri maculis, mentemq. modeſtā
Sic tandem Cæſar publice deſcripta per actus
Præpopere reuocat, Vigilus quod iure petebat,
Ne præiudicium fieri contingat habendæ
Re ſuper hac Synodo, quid enim diſcuſſio fiat
Si partem alterutrā prohibent edicta ſequendā,
Aureliæ Synodus ſimilis collecta ſub vrbe eſt,
Quinquaginta aderant patres, damnātur iniqui.
Parthenium fiſco, qui dura tributa legebat,
Oppreſſere viri Franci per ſaxa petitum,
Tetricus in ſomnis diuus tibi Pappule paſtor
Viſus adeſt, vitam incuſat per geſta nefandam;
Impulit illęſum valido ſub verbere corpus,
Atq; ait, & ſedes tu polluis actibus iſtas?
Ergo breui reprobum vomuit cum ſanguine vitam,
Diſcant, à patribus non degeneraſſe minore,
Et puras ſeruaſſe manus, nec pectus iniquum,
Conſtantinæa Eutychius Legatus in vrbe
De cauſa mota coram ductore virorum
Differit egregie, quianam deceſſerat alter,
Ex monitu in ſomnis idem fit paſtor ibidem,

Eiecto

Eiecto indigne Zoilo, mox funere functo,
Pastor Apollineus Mareotica Regna tenebat,
Iam Dux militiæ Narses felicibus arma
Auspicijs tractat, Gothicæ discrimina gentis
Euitat sospes, Totilam necat, agmina cædit,
Troiumq. hostiles turmas reparare volentem
Opprimit, amissa Roma, Regnisq. potitur
Rursus, & Imperio adnectit distracta locorum,
Dicitur is Narses, cum longobarda propago,
Militiæ commixta suæ scelerata patraret,
Dimisisse viros, quamuis late vsibus aptos,
Cerneret armorum, ne dedecus agmina versent,
Desperans meliora, sinu si fæda foueret.
Dicitur is Narses in diam corda parenrem
Gestauisse pia, vt tulerit sua præmia laudis
Imperium instaurans, optataq. funera miscens.
Ergo trium capitum, quæ sunt falsissima tandē
Septeni decies patrum, centumq. repellunt,
Authoresq. simul quasi cœco errore vagatos
Vt sua diligerent potius, quam recta fouerent
Sensibus hærentes positis per scripta notarum.
Mulctati exilio, qui sic reprobasse repulsos
Authores renuunt, Vigilus fuit inter eosdem
Immerito, vt late currant præpostera rerum,
Acciderit fortasse alias, dum discutit actus
Qui non legitimè præsit, decernere iusta,
Vt velut ex casu, non per se vota sequantur,
Nec iuste fiant, quæ iuste facta feruntur
Quod non legitimos fuerint confecta per actus
Quamuis, iusta ferat, quoniam sic contigit esse,
Incaute factum illud erat, temereq. nouatum,
Quod non sit iusta positum ratione gerentum,
Iuridicus rebus præcurrere debuit ordo,
Quem poscit natura rei, atq; interpres honesti,
Non


Non vi, nec raptim, aut temere, trepidoque tumultu,
Ergo licet Cæsar, Synodusq; acephala posset
Furtiua ratione vtens decernere verum,
Non tamen idcircò, recte censebitur actu.
Vim patiens Vigilus, nihil vt sibi forte liceret,
Illorum, quæ legitime res tanta petisset,
Vt quasi turbatis animis dirimenda sequantur
Omnia, consilijs, ac nutu Cæsaris vno
Abripiente animos, merito secessibus vsus,
Pectore sedato quantum licuisse videtur,
Descripsit, rerum sibi quæ tunc sensus inesset,
Nec velut ex Cathedra, quia nec maturius actum est.
Nec visis actis, per quæ cognoscitur error,
Vt fuit in votis, ac res perplexa petebat,
Vt si post aliquot sint digna recognita cultu,
Legitimata velut fuerint per iudicis actus
Legitimi, excussa nebula offundente tenebras
Acta per arbitrij, seu longa examina rerum,
Quippe in iudicium quasi deducuntur iniqua,
Æquaq. legitimus debet processus iniri,
Libera vt arbitrij sit legitimata potestas
Iuridiciq. rei caueat, neq; desit agendis
Præsidium expectans Christo de patre petendũ.
Tunc velut ex pacta lumen te lege sequetur,
Cælitus, vt possis decernere digna per actus
Iudicij cæpti, tibi ne subrepserit error,
Hæc ratio fuerit, si communissima, primæ,
Hæc eadem, Synodus si particularior esto,
Vt tamen hæc subsit quodã velut ordine primæ,
Sic vt mutari valeat passura refluxus
Si primæ sedeat, quia sic mutabilis esset,
Ergo ea non fuerat tum communissima, sed mox

Ro-

Romano confota sinu, patribusq. latinis,
Et fuit, ac dici potuit, quia recta foueret,
Vt non immerito fuerit sic postea factum
Appendix etenim quartæ vocitato receptæ est,
Exilio Vigilus mulctatus, postea cleri
Romani votis intercedentibus vnis,
Narsetisq; Ducis studiis propioribus ædes
In patrias idem, & Romam reuocatur in vrbem,
Sed Vigilus Siculis remeans decessit in oris.
Vt tamen ante forent censuris rite soluti
Eoi patrum sibi qui nocuisse reperti,
Dixero, quo Vigilus iuga discussisse Tyranni
Arriani, & Gothici, quæ longe indigna putaret,
Romanis posset ceruicibus, omnia fœde
Magna animo versans cæpit miscere malorum,
Syluerium vt Gothicis obstrictum auerteret vrbem,
Ac sese indigne Theodoræ inuolueret actis,
Mox quoniam Imperio, sibi quod meliora daturum
Sperabat, sensit pariter se forte grauatum,
Ac pressum iniuste, rursus quasi debita poscens,
Scilicet Imperium, libertatemq. sacrorum
Pontifici summo contradixisse laborat
Cæsareis votis, ne non sibi debita poscat,
Vt, quam personam gereret, gessisse decore
Scires, ac fœdum quauis ratione daretur
Abiecisse iugum, Romano pectore prorsus,
Motus, & ingenio, quippe illibata perenni
Tempore seruari voluit sua iura futuris.
Laudari sensus Vigili quasi iusta petentis,
Non ita consilium potuit, quia scandala rerum
Euitanda sibi, non accersenda fuerunt,

Sed

Sed fragilem in causam tamen hæc referenda
videntur,
Vtile consilium fuerit secludere noxas,
Ac bene dispositis licite quæ, posse putantur,
Iustorum Ecclesiæ curam dimittere Christo.





Errata Lector Corrige.

Fol. 26. verſ. 11. mortem. 27. v. 29. abſumptus. 27. v. 30. Aſerq. Hedorus. 28. v. 6. Diuerſos. 28. v. 16 ſæuis. 29. v. 24. Is titillantes. 30. v. 7. Epiſtenus. 30 v. 21. ſubregulus. 30. v 29. firmas. 31. v. 13. Te Saturninum 31. v. 20 Pioni. 31. v. 27. Galluſq. 31. v. 30 orbem. 32. v. 2. capeſſit. 32. v. 9 Sempronus. 35. v. 25 opprimitur Felix. 36. v. 26. Illa ſtyge arreptam ſimulat ſe. 37. v. 13. Bacchatur apertè 37. v. 23. Dum Saturnini. 38. v 16. ſeclo 40. v 5. Inſaturabile. 40. v 7. Domnam etiam. 40 v. 27 Non propulſiua. 42. v. 4. Pinum. 42. v. 24. Effoſſum. 43. v. 17. Qui ſe legaſſet in vſus. 43. v. 21. Hirocles. 44. v. 21. Profuſo 44 v. 26. vorandis 46. v 10. ſatius. 46. v. 11 Vlpianum decorant certamina clara fidelem. 46. v. 23 Ianuarus. 48. v. 3. quondam. 41. v 11. prementia. 53. v. 8 conſciſcis. 53. v. 17. Licino. 54. v. 25. flammas. 56. v. 7. confuſi. 57. v 9. ferocem. 59. v. 19 Euſebio. 60. v. 17. ℨy 64. v. 12. effoſſus 64. v. 14. Decorus, Tu quoque, Machari, Euſtathi, Longine, Leonti, Ciſcon. 66. v. 22. inſomnia 69 v 22. Tranaturus 70. v. 5. 6. 7. Eulogio ſimiles alij, queis cognita cordis Intima cum Cromo fratrum Milidusq. necantum ſe mortem ſignans, fabrilibus. 70. v. 10 Philemonq. 70 v. 11. Hæreſis impatiens Agatho, Paphnutius 70 v. 19. Quæ ſe morboſam finxit non ſponte marito iuncta alias, ac Bruta. 71. v 7. pertraheres. 71 v. 11. per. 71. v 17 Ferijſſe. 71. v. 31. Tranſgreſſi 73. v 21. Conſtantinus 74. v 12. Noua Roma. 74 v. 28. Simulat 74 v. 31. Lex lata eſt iuſtis commercia ferre nefandi 75. v. 27. Promeritus. 76. v. 33. prius. 77. v 4. pertraxit. 79 v 28. Docentum. 85. v. 12. Chalcedone. 85. v 27. vomebant. 89 v 15. poſſet. 90 v 12. poſuere. 92. v. 7. preſſa eſt 92. v. 17. Prò. 96. v. 15 pertæſus. 98 v. 8. pulſans. 100. v. 23. ablegans 101. v. 2. axe 101. v. 19. Ac veluti vacuis, 102. v 26 Chara. 103. v. 10. Agmine. 103. v. 31. Luxuq. 107 v. 24. Quin. 109. v. 22. ſolebat. 111. v. 3. Impellit. 111. v. 12. Iam bis. 112. v 11 pius. 113 v. 13. prohibens commercia 113. v. 25. potentum, Non æquè praui noceant, maiora ſequuntur damna. 114. v. 19. Repperit. 115. v. 16. Sebaſteni. 115. v. 24. vir 115. v. 25. cuius. 115. v. 28. Ablegat

in

in oras.115.v 31.vexaret.115.v.31.Iussi.116 v 2.peruisit. 116 v.3. sensit. 116. v.12. percepta. 116 v.22. Eiectus in vrbem.116.v.27. Morbosq. 116 v.30 Mox. 117.v.33.pius. 118.v.18.prodere.118.v.23.Salamina. 120 v.21.donisq exornat.120 v.28 dictus. 120.v.29. virgo.120.v.34.Eoum.121.v.2. cædit 121.v.26. hominem.121.v.32.suam.123.v.21.clarissimus 123.v.31 inuasere.123.v.34. vesani. 124.v.2. Syrmij.124. v.3. huc. 124 v.15.venerator.124.v.29. cogi 125 v 7.obnitente.126.v 30.infensi.127 v.4. diæ 127.v.7. Aruis. 127 v.11 quæcunque illa putes.127 v.21.Tueatur.129 v.20. Artubus. 129.v 22. vnda.131.v.11.perfundere, 133 v.28.depastum.134 v.20.Ac.135.v 5.accusantum 136.v.2.comitante.137 v.2.obsedit(137.v 20. Beneuellus forte.138.v 6.ingenij.139.v 2 parata.140.v.23 gentis.140 v.32. æquis 142 v.7.gressu.142.v.24 desistit. 145.v.16 labore. 147.v.14. iniuria. 149.v.15 est ex. 149.v.27. Illibata sequatur. 150.v 20 Ablegatur 151 v. 0.Ermediæq 251 v.31.Patrij.153.v 10. inani. 153.v 20.auget 156.v.32.rettulit.159.v.7.& 8. Ruffinus erat, Chalcedona ad vrbem construxit sumptus. 161.v.6.firma.162 v 20. ditet. 163.v.18 peruaserat. 165.v.12.vocum eradenda. 169.v.19. abnuit. 177.v. 24.saperet ritus.178.v 33 cedit. 179.v.1. Anthemiū decorant pietas, virtusq. fidelem. 180. v. 29. facta. prius.184.v.2 Demetrias Romana fuit. 185.v.13. iusti.191.v.18 dona.196.v 5. Iam 196 v.27. Tueantur. 197.v.11.sortem.198 v.3 præfuit.200.v 12.Iaceant. 207.v.16.terrent 211.v.1.laboris.211 v 14. occurrisse.212.v.2 in tabulis.212.v 13.cognouit fraudes 212 v.14.instat.213.v.21.vt sic.215.v.29 lætho late.216. v.21.qua. 217.v 6.destitit.219 v.5.delusa 219.v.28. Regnum.219 2 32. modestior.222. v.27. obstrepere. 222 v.28.fuerant. 223.v.1. functus. 223.v.7 meritas 223.v.20.conuerterat.225.v.1. refecta 228.v.1.auri 228.v.6.auras. 228 v.7. terris claram. 228 v.25. tectis.228.v.27.audit.232. v.1.secedere 232 v 6.vota 232 v.7 arreptaq 232.v.11.cogit Sxnodum.232.v.19 Flauiano.132 v 21.firmari.232 v.22.argumenta.232. v.26. gerentem.232.v-31.donat.233.v.2. venatu 233 v.7. Pulcheria in læthum penitus.233.v.8. permouit. 233 v.13.insedisse.233.v.15.sponsanda. 233.v.30.ni-

mium

mium.237.v.5.passam.239.v.14.experiatur.241.v.9. Ephesinaq.243.v 28.frustra hic.246.v.4. obsedit.246 v.15.Non disceptantis.246 v.20.actis. 248.v 24. aduenerat.250.v.23.lectus 251.v.7.Salonitarum vt.251 v.11 Eoum.251.v.12. infelici. 252.v.5. Mareotica.. 255 v.7.melioribus. 256.v.25. dedifcere. 258. v.18. præterea 259,v.22 præclari. 262.v.2. pasta. 266 v 9. gentis.272.v 3 præripit.. 272.v.24. audet. 272 v.28. factam 275.v 16. Arbitrium Roma 276.v.2. verba. 276.v.31.professam 279.v.20. reposcat.282.v.7. populusq.286.v.4. geraraq 294.v.25 insperatosq.295. v.21 sic.297.v.13.concilijs.298.v.11. suffecte,298 v. 17.docuit iam 299.v.30.conuentus. 309.v 9. cerno. 309.v.19.rettulit.313.v.3.adhæsit.315.v.27.Cosrohe 316 v.9.vrbis.317 v.26.illæ us 317.v 27. noxarum. 320.v.14.repelles.323.v 1.minitans.324 v 2. profugus.328.v.31.seruitio Regum.330.v 18 iura.333.v.3. vagati.

Errata in sacris decriptionibus prætermissa.

Fol.13 vers.14 parati 13.v.33 quæcunque. 16.v.13. quisquis vis.47 v.10 fraudis.47.v.32. iussa super minimo mareotica sceptra gerentis.73. v.3 questa.75. v.22. vltio.91.v.7.vesana.92 2. 18. aspersere genas. 119.v.23.ac 126.v 32.mænibus 134 v.27 forte alias & dira fames ea Regna premebat. 144. v.5. interfectores.146.v.27.sufficissaq. 160 v 29. opprimitur. 164. v.14. torrenti 192 v 17 pressum lue.211 v.32 capere 216 v.13. limum facit, organa inungit. 228. v 9. acutius ergo.246 v.8. omnis.256.v.30. declarat.258 v.3.& fertilis aluus.265.v 19 illuc,273.v.19 irrorat. 277 v.5.audierant.277 v.13 quas Deus. 301.v.3. filius.305.v.17.quæritur.306.v.25.sæcla. 319.v 3. motarum.326.v.19.& 20. quia pessima nacti tempora. soluistis.330.v 13 sicca lue. 331 v.6 cadis. 331. à v. 28. Annorum decies septem, totiesq. remenso quinquagenorum veteri per tempora cursu.

